

*MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80405-8*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
“Foundations of Western Civilization Preservation Project”

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KOETSCHAU, PAUL

TITLE:

DE M. TULLII CICERONIS
ORATIONE IN TOGA ...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1880

Master Negative #

91-80405-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CM4
DZ61 Koetschau, Paul, 1857-
De M. Tullii Ciceronis oratione In toga candida
habita; dissertatio inauguralis quam... scripsit
Paulus Koetschau... Lipsiae, typis B.G.Teubneri,
1880.
43 p. 24 cm.
Thesis, Leipzig.
VOLUME OF PAMPHLETS
169807

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IB IIB
DATE FILMED: 12-30-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management




1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87CN4 No. 5
DZ 61

DE M. TULLII CICERONIS

ORATIONE IN TOGA CANDIDA HABITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS KOETSCHAU

THURINGUS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXX.

LUDOVICO·LANGE

SACRUM

L. Cornelio Sulla mortuo cum optimates in republica potentiam, quam modo adepti erant, retinere atque etiam augere summopere studerent, populares, qui post tribuniciam potestatem a. 684/70 restitutam animos erigerent, legibus Gabinia, Cornelia, Manilia perlatis adversarios graviter afflixerunt. Nec vero optimates desperabant. Nam cum inde ab anno 688/66 populares non solum eos, quibus Sulla pecunias publicas dono dederat, sed etiam ipsum Sullae filium Faustum de pecuniis residuis accusavissent¹⁾, optimatibus, quorum potentissimus tum abesset adversarius Pompeius, contigit, ut et tribunorum plebis conatus irritos facerent et ipsi tres tribunicios postularent. Sed haec erant parvi momenti. Nam interim factio popularis C. Iulium Caesarem, virum singulari quodam ingenii acumine praeditum, et M. Licinium Crassum, omnium fere, qui tum erant Romanorum ditissimum, duces nacta est fortissimos. Hi, ut ea, quae uterque de dominatione in Romanos occupanda cupiebant, consequerentur, neve Pompeio, si victor cum ingenti exercitu Romam revertisset, inferiores essent, illo absente multos sibi et firmos socios adiungendos, magnas copias et opes conquirendas, perpetuas plebis voluntates comparandas esse non ignorabant. Itaque societate facta cum validiore factione et Caesar, quod ludos aedilicios summo cum splendore fecit ac Marii monumenta restituit, et Crassus, quod censor a. 689/65 factus Transpadanis latini nominis civitatem romanam dari Aegyptumque in provinciae formam redigi voluit²⁾, totos in se converterunt plebis animos. Optimates nihil iam audebant, nihil poterant; populares alacres erant, imperium quasi tenebant: quid mirum, quod Caesar et Crassus tempus adesse putabant eversa republica ipsorum dominationis

1) Lange R. A. III² 221; Cicero pro Cluentio 34, 94. 53, 147.

2) Lange R. A. III² 227 sq. Mommsen R. G. III⁶ 169. John, Die Entstehungsgeschichte der Catilinarischen Verschwörung, p. 731. [Fleckeisen Suppl. VIII p. 703—819. (1876).]

fundamenta iaciendi¹⁾? Convenit igitur inter eos, ut initio a. 689/65 novis consulibus nobilissimisque senatoribus occisis P. Cornelius Sulla et P. Autronius Paetus, qui ambitus damnati erant, consules fierent, Caesar autem et Crassus revera reipublicae gubernacula prehenderent²⁾.

Ad quod facinus perficiendum maxime idoneo et parato adiutore utebantur L. Sergio Catilina. Qui cum bona paterna consumpsisset, magnum aes alienum contraxisset, multa stupra, flagitia, scelera commisisset, et ipse, ut Sullana renovarentur tempora, vehementer cupiebat et alios homines abiectos et leves aliis alios artibus permovebat, ut se ducem sequerentur. Cum hac caterva facillime Catilina caedem optimatum perpetraturus fuisset, nisi nescio quis casus hoc prohibuisset³⁾. Sed quanquam tunc nihil profecerant Caesar et Crassus, tamen mutata ratione optimates lacescebant accusationibus; et ille quidem, qui tum quaestioni de sicariis praeerat⁴⁾, duos satellites Sullanos, L. Lucium et L. Annium Bellienum damnavit⁵⁾.

Duabus igitur illis factionibus varia inter se fortuna confligentibus cum clarissimus quisque et fortissimus alicuius factionis esset, ac brevi tempore ipsa res publica in discrimen ventura esse videretur: ad summum magistratum accedere conatus est is, qui semper medius inter factiones steterat modo huic, modo illi favens, utcumque res, utilitates, studia ferebant, M. Tullius Cicero. Nam et propter mollitiem animi ac lenitatem⁶⁾ facere non potuit, ut homo vere factiosus esset, et, quod homo novus erat,

1) Praeterea cf. Boissier, Cicéron et ses amis p. 67. Probo Johnii de consiliis Caesaris et Crassi sententiam expositam l. 1. p. 706—726. Idem iam Mommsenus (R. G. III^o 178) opinatus erat; Johnius rem argumentis confirmavit satis certis.

2) Sueton. Caes. 8. Cicero in 'expositione consiliorum suorum' (apud Ascon. p. 83; cf. Teuffel R. L.³ p. 355, John l. 1. p. 724) M. Crassum huius coniurationis auctorem fuisse arguit. Cf. pro Sulla 7, 21, 27, 76. Sueton. Caes. 9.

3) Sueton. Caes. 8. fin. auctore Tanusio tradit 'Crassum diem caedi destinatum non obiisse et idcirco ne Caesarem quidem signum quod ab eo dari convenerat dedisse'; cf. Ascon. p. 94.

4) Sueton. Caes. 11.

5) Ascon. p. 91. 92. Dio Cass. 37, 10. Lange R. A. III² 230.

6) Cf. pro Sulla 6, 18. 31, 87.

si nihil amplius optabat, quam ut consul fieret, prudentiae fuit neminem adversarium vel inimicum habere. Quare usque ad illud tempus semel accusatoris partibus functus erat¹⁾, contra non paucorum causis susceptis vel aliquomodo sublevatis cum multis, tum Pompeium, potentissimum virum, beneficiis sibi obstrictum habebat²⁾. Adde, quod toti factioni populari sese commendaverat C. Cornelio et C. Manilio poena liberandis. Omnium cuiuslibet generis hominum suscipiebat patrocinia, dummodo grati illi futuri viderentur, orationes causarum ac temporum, non hominum ipsorum aut patronorum esse ratus³⁾. Quid? Catilinam, repetundarum reum, nonne speravit, si sua opera absolutus esset, coniunctiorem sibi fore in ratione petitionis⁴⁾? Quae spes Ciceronem fefellit. Nam Catilina reputans scilicet fore, ut Cicero sibi plus noceret, quam prodesset, amicitiam ultro oblatam repudiavit coitionemque fecit contra Ciceronem cum C. Antonio Hybrida, oratoris filio⁵⁾, quo se idoneo socio consiliorumque fautore esse usurum sperabat.

Iam non dubium videbatur, quin Catilina et Antonius coniuncti unum Ciceronem superaturi essent. Huius enim petitioni maxime duae obstabant res: una, quod homo novus erat, altera, quod optimates adversarios habebat. Homini novo pugnandum erat cum nobilibus illis viris, qui omnibus nervis contendebant, ut ne quisquam humili loco natus in suum ordinem irreperet. Num paululum eos dubitasse putabimus, quin ob eam ipsam causam Ciceroni adversarentur, Catilinae et Antonio faverent? At qualis erat horum fama et existimatio⁶⁾! Omnes sciebant quot flagitia Catilina, quot Antonius commisisset. Verum haec parvi aestimabantur in civitate illa corruptissima⁷⁾. Sed ne compara-

1) In causa C. Verris. 2) Ad Att. I 1, 2 'Pompei nostri amici'.

3) Pro Cluentio 50, 139.

4) Ad Att. I 2, 1; pro Cael. 6, 14. Cf. Wirz, Catilinas und Ciceros Bewerbung um den Consulat für das Jahr 63. Zürich 1864. p. 7—10.

5) Ascon. p. 83. Johnium idem sentire postea animadverti (cf. mus. rh. 31 p. 429, n. 1. Fleckeis. suppl. VIII 728. 736. n. 30), cum Langius (R. A. III² 227) Ciceronem pro Catilina ideo non dixisse putet, quod itinere in Galliam faciendo prohibitus esset (ad Att. I 1, 2). Ceterum dubito, num quis Drumanno (G. R. V 410) Ciceronem re vera Catilinae causam egisse credat.

6) Cf. Q. Ciceronis commentariolum petitionis (2, 8. 9. 3, 10) et Ascon. p. 84—93. 7) De rep. 5, 1. Sall. Cat. 14.

verat quidem Cicero sibi iam tum nobilium favorem. Etsi enim a. 688/66 A. Cluentii Habiti causa feliciter peracta optimatum gratiam meruit, tamen eam paulo post perdidit Pompei et popularium rebus adiuvandis. Optimates incerti erant, utrum Cicero, si eum consulem fecissent, fidem sibi servaturus, an cum Pompeio popularibusque societatem initurus esset ad senatus auctoritatem remque publicam evertendam. Contra Catilinam et Antonium, quippe qui nobiles essent, nobilitatis ac senatus partes fortiter defensuros esse opinabantur.

Quae cum ita essent, tamen Cicero coitionem, h. e. Catilinam, adversarium laud despiciendum, superavit¹⁾. Hoc qui factum sit, si quis quaeret, respondendum est Ciceronem tum demum sibi viam ad consulatum patefecisse, cum habita oratione, quae inscripta fuit 'in toga candida' factionis senatoriae consecutus est favorem et auxilium.

Caput primum.

Catilina et Antonius cum a. 690/64 non solum ambitum in dies maiore cum licentia facerent, sed etiam palam vim atque arma pararent²⁾, senatus huius audaciae coercendae causa censuit, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur³⁾. Huic S. C. ut intercederet, Catilina et Antonius Q. Mucium Orestinum tr. pl. pecunia adduxerunt⁴⁾. Quod cum senatus aegerrime ferret, Cicero tempus adesse ratus, quo et adversarios suos profligaret et sua consilia patribus exponeret, cum de ipsa illa intercessione, ut videtur, relatum esset, sententiam rogatus surrexit et orationem in toga candida habuit.

Qua oratione quid efficere voluerit, ab Asconio⁵⁾ his indicatum est verbis: 'in coitionem Catilinae et Antoni invectus est.' Id confirmant fragmenta, ex quibus colligitur Ciceronem, cum Orestinum leviter perstringeret⁶⁾, quidquid irarum conceperat, in Catilinae et Antonii capita effudisse. Nam uterque cum laeserat; ille, quod auxilium eius aspernatus postea publice, quantopere eum contemneret, praedicaverat⁷⁾, hic, quod pro beneficio a Cicerone

1) Ascon. p. 95. leg. agr. II 2, 4. 2) Ascon. p. 83. 88.

3) Ascon. p. 83. 4) Ascon. p. 83. 85. 88. 5) P. 83.

6) Ascon. p. 85. 86. 88. 7) Ascon. p. 87. 88.

accepto adeo ingratus fuerat¹⁾, ut contra eum cum Catilina coiret. Haec Cicero tunc ultus est. Explicavit enim, quam infamis fuerit Catilinae, quam inhonesta Antonii vita, tantamque ignominiam utrique inussit, ut ipsis senatoribus non iam digni consulatu viderentur.

Sed Cicero non solum prohibere voluit, ne Catilina et Antonius consules fierent, verum etiam — et id quidem multo acrius — studuit, ut semet ipse optimatibus commendaret eorumque suffragiis uteretur²⁾. Idcirco S. C. quam utile esset, ostendit graviterque Orestini intercessionem vituperavit. Porro significatis modo perniciosis Catilinae et Antonii machinationibus³⁾, modo fautoribus eorum nobilissimis, Caesare et Crasso, si non nominatis, tamen satis clare descriptis⁴⁾ senatui, qui *eris* et oderat et timebat, non solum gratum fecit, sed etiam metum iniecit eversionis reipublicae. Iam pridem dubius per urbem serpserat rumor Kal. Jan. a. 689/65 omnia parata fuisse ad caedes consulum et optimatum faciendas. Tunc autem Catilina et Antonius coram populo gladiatores emebant⁵⁾, perditos homines sibi adiungebant, oculis ipsis caedem et ruinas minabantur. Quae cum Cicero in senatu proferret simulque illum rumorem confirmaret⁶⁾: quantam putas trepidationem patrum conscriptorum fuisse! Tenebant coniurationem adversus se factam trepidique circumspiciebant auxilium. Quod num quis potius tunc praestare poterat, quam Cicero, qui se futurum esse declararet fidelem ac perpetuum amicum senatus, fortem ac strennum defensorem disciplinae atque auctoritatis, alacrem ac vigilem custodem legum et institutorum? Ergo oratione, de qua agimus, habita Cicero consulatum sibi confirmavit. Optimates enim eum, ubi sua erga eos studia professus est, quod meliorem non habebant⁷⁾, salutis atque auctoritatis suae propugnatorem elegerunt⁸⁾. Quodsi Cicero tam bonam occasionem declarandi, quid et cui vellet, nactus non fuisset, haud scio an futurum fuisset, ut vel prorsus iaceret, vel Catilinam haberet collegam metuendum.

1) Ascon. p. 85. 94. 2) Cf. comm. pet. 33, 53. 8, 29. John l. l. p. 735.

3) Ascon. p. 88.

4) *lis seil.*, coram quibus tum dixit; Asconius nonnulla certo interpretari non poterat; cf. p. 83. 88.

5) Ascon. p. 88. 6) Ascon. p. 93. 7) John l. l. p. 771.

8) Ascon. p. 95.

Quae cum ita sint, valde dolendum est orationem in toga candida habitam exceptis fragmentis, quae Asconius servavit, iniquitate temporum perisse. Integra si exstaret, in ea tanquam in tabula ambitus, machinationum occultarum, totius denique illius temporis imaginem expressam haberemus ac de coniuratione, quae vulgo appellatur Catilinaria prior¹⁾, sane certius iudicaretur. De ea quae in fragmentis invenimus dicta, satis obscura nostris quidem temporibus sunt; nam Cicero, consulto opinor, obscurius locutus est, ut Caesarem et Crassum ne nimis lacesseret, et eorum, quae moliebantur, terrorem etiam auget. Inventa autem sunt huius orationis²⁾ 28 fragmenta cum enarratione Q. Asconii Pediani in codice Sangallensi simul cum 4 aliarum Ciceronis orationum fragmentis et commentariis Asconianis a. p. C. n. 1416 a Poggio eiusque amicis. Codicem ipsum interisse, omnemque 5 enarrationum memoriam pendere e tribus apographis Poggii, Bartolomaei, Sozomeni³⁾, uberius explicaverunt Kiesslingius et Schoellius. Textum igitur, quem vocant, huius orationis et mendis inquinatum et lacunis laceratum esse non mirabere. Plurima menda abstersit, multas lacunas scite supplevit Madvigius⁴⁾. Post eum alii textum Asconiani libri haud infeliciter perpolire studuerunt. Quo factum est, ut huius quidem orationis fragmenta praeter ultimum corruptissimum fere omnia genuinam formam recuperasse videantur.

His fragmentis quasi fundamentis nixi si totius orationis te-

1) Re vera eam fuisse Caesaris et Crassi Johnius demonstravit l. l. p. 706—726; cf. Wirz l. l. p. 21.

2) Inscriptio huius orationis est haec: 'In senatu in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam competitores.' (Ascon. p. 82.) Eius nulla a veteribus mentio fit, nisi a Quintiliano (III 7 'et editi in competitores, in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri vituperationem continent, et tamen in senatu loco sunt habiti sententiae').

3) Huius 'nomen postea historia ecclesiastica condita inclarusse' certiores nos faciunt Kiesslingius et Schoellius in praef. edit. suae, a. 1875 publici iuris factae, p. XXVIII. Sprios igitur declarant et scriptori saec. XV tribuunt libros, quos V p. Ch. n. saeculo ab altero Sozomeno scriptos esse usque adhuc viri docti ad unum omnes censuerunt. Verum dubitationem, quam minus caute fortasse moverunt, utinam argumentis firmare viris doctissimis placuisset.

4) De Q. Asconio Pediano et aliorum veterum interpretum in Ciceronis orationes commentariis, Havniae 1828, cum appendice critica.

norem et saltem sententiarum ordinem restituere velimus, in primis quaerendum est, quotam fere integrae orationis partem fragmenta nobis exhibeant. Minimam quidem exstare sibi persuasit Eussnerus¹⁾ 'tantam huius orationis reliquiarum paucitatem esse' questus, ut diceret 'vix triginta fragmenta exstare, quorum quidem nonnulla paucis verbis continerentur'. Qui vereor ne longe erraverit. Nam satis certis argumentis evinci posse confido orationem, de qua agimus, parvam fuisse, ideoque quae supersunt pro tertia fere orationis parte esse habenda. Sed ex ipso fragmentorum numero de orationis magnitudine coniecturam velle facere stulti esset. Nam quod ex Miloniana, quae 105 paragraphos continet, Asconius 20 fragmenta elegit, non continuo sequitur, quia ex hac oratione 28 fragmenta desumpsit, ut eam ex 150 fere paragraphis constituisse putemus. Praeterea haec conclusio propter argumentum orationis absurda est. Sed cur huius orationis tot Asconius servavit fragmenta? Nempe quod contra Fenestellam probare studebat Ciceronem Catilinae patronum non exstitisse, et quod hic saepius filii²⁾ enarrationem desiderabant, quam alibi. Cum igitur numerus horum fragmentorum permagnus videatur respicientibus fragmentorum summam 4 reliquarum, quas Asconius enarravit orationum, tum fragmenta apparet tam arto inter se cohaerere sententiarum nexu, ut multa intercuisse non sit verisimile. Quid? longane tunc opus fuit oratione, an parva? Sane quae dicenda erant, nisi presse dicta essent, patrum animos non magnopere movissent. Accedit, quod ipse Asconius argumentum orationis tenue fuisse testari videtur, cum dicat³⁾: 'quod crimen saepius ei tota oratione obicit' et postea⁴⁾ 'et cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat?' Denique brevem fuisse orationem nostram ea ex re concludo, quod ante huius fragmenta tales versuum numeri non exstant, quales in ceteris enarrationibus Asconianis inveniuntur. Paucis rem exponam. Primum hoc ne a Blassio quidem negari puto, quod Ritschelius⁵⁾ olim fieri potuisse dixit, Wachsmuthius nuper⁶⁾ recte affirmavit:

1) Commentariolum petitionis examinatum atque emendatum, programma gymn. Virceburc. 1872, 4^o. p. 15.

2) Cf. Ascon. noviss. edit. praef. p. X sq. 3) P. 84. 4) P. 86.

5) In alexandrin. Bibl. appendice de stichometria = opusc. I 84 sq.

6) In mus. rhen. 34, 1, p. 38—51; cf. Fr. Blass ibidem 34, 2 p. 214 sqq.

Asconium, ubi numeros versuum adscriberet, respexisse exemplar ad hanc ipsam rem accommodatum, fortasse ab ipso scriptum¹⁾. Alterum vero multo facilius mihi concedent viri docti: ab Asconio ipso numerorum notas fragmentis esse praescriptas. Aliter sensit Beckius²⁾, qui propterea, quod 'taliam enuntiata' in hac oratione 'prorsus desunt, ea aetate illa a librario adscripta esse' putet, 'qua oratione in toga candida — iam deperdita duae incolumes Cornelianae totaque Scamriana et Pisoniana virorum doctorum in manibus etiam tum erant'. Haec argumentatio ideo caduca est, quod Beckius falso sumit omnia illa enuntiata a librario nescio quo adscripta esse. Ex ipsius enim Asconii verbis³⁾ 'qui oblitus sit ante minus XX versus haec de eo ipso Ciceronem dixisse' cognoscimus eius modi notationes velut: cir. ver. a primo DCXL (p. 10) ab Asconio commentis suis esse insertas. Hac re concessa sequitur, ut reliqua enuntiata — sive orationis tenori intexta, sive fragmentis nude praeposita sunt — utique Asconio tribuamus. At scribae vel miniatoris cuiusdam negligentia fieri potuit, ut in hac oratione numeri omitterentur. Et ita iudicaverunt Madvigius et cum Schoellio Kiesslingius⁴⁾. At primum in hac oratione factum esse, ut omnes huius generis notationes negligentia omitterentur, mihi verisimile non videtur. Deinde quoniam hic satis multae exstant notationes⁵⁾, cum non pauca fragmenta iis plane carere videamus ceteras enarrationes perlustrantes⁶⁾, num tandem etiam plures requiremus in hac oratione? Iam si quaerimus, cur hic Asconius versuum numeros non indicaverit, reputandum est iis alibi eo consilio usum esse enarratorem, ut filii et quicumque commenta sua legeret⁷⁾, in

1) In quaestiones stichometricas nuper magno cum studio a Ch. Grauxio (in revue de philologie II, 1878, p. 97—143) C. Wachsmuthio, Fr. Blassio l. l. retractatas diligentius inquirere ab hoc loco alienum. Hoc certum esse puto apud Asconium 'versus' significare 'Raumzeilen'.

2) Quaest. in Cic. pro C. Cornelio orr., Diss. Lips. 1877, p. 35.

3) P. 80. Tradita sunt verba hoc falso ordine 'minus ante XX'.

4) Hi in edit. p. XXIII, ille l. l. p. 60 sq. 5) P. 84. 85. 86. 90. 91.

6) Velut cum or. Milonianae Asconius 20 fragmenta enarravit, 8 fragmentis notationes praeposuit, reliquis nullas.

7) Non dubito, quin Asconius commentarios suos ediderit, iisque praecipue magistri sint usi, cum discipulis Ciceronis orationes explicarent.

ipsis libris Ciceronianis singulos locos facile invenire possent. Ergo tum opus erat numeris, cum ex longiore oratione pauca atque ea eligebantur, quae satis magno inter se distarent intervallo. Cur igitur in hac oratione desunt numeri? Quod non necessarii erant, quod notationes generales velut 'postea' 'paulo post' sufficiebant in oratione tam parva tantoque fragmentorum numero brevibus intervallis sese excipientium. Ego eam vix 30 paragraphos excessisse eiusque tertiam fere partem 28 fragmentis ab Asconio enarratis servatam esse opinor. Similis erat oratio nostra iis, quas Cicero in Catilinam habuit et amplitudine et argumento. Nam ut in illis, sic in hac Ciceronem praecipue in Catilinam invectum esse testantur fragmenta¹⁾. Quare oratione i. t. c. habita Cicero quasi praelusionem fecit proelii illius acerri- rini, quod mox cum Catilina commisit et 4 orationibus in eum habitis feliciter finivit.

Ceterum haec oratio, quia Cicero de Catilina et Antonio et Orestino agit, generis demonstrativi est; si loquendi occasionem respicimus, eandem in genere deliberativo ponere licet, namque habita est, cum senatus de Orestini intercessione deliberabat²⁾.

His demonstratis conemur definire, quando oratio nostra habita esse videatur. Habitam esse eam 'ante dies comitorum paucos' Asconius refert³⁾. Ergo cum comitia illis temporibus mense Quintili haberi solerent, neque a. 690/64 dilata esse tradantur⁴⁾, Cicero locutus eo ipso mense esse videatur. Sed quia propter ludos Apollinarios, qui pridie nonas Quintiles incipiebant et ante idus Quintiles finiebantur⁵⁾, diebus comitialibus VI ante

1) 2 fragmenta sunt de malis civibus, 7 de Orestino, 18 de Catilina, 4 de Antonio, 3 de utroque. Ergo plus dimidium est de Catilina. Numero fragmenta secundum editionem Kiesslingii et Schoellii, ubi 28 distincta leguntur; in editionis operum M. Ciceronis a Baithero et Kaysero curatae vol. XI. tantum 22 leguntur coniunctis iis, quae statim se excipere apparet.

2) Cf. Cornif. rhetor. ad C. Her. I 2, 2. Cic. de invent. I 5, 7.

3) P. 83. Praeterea generaliter tempus definit p. 82 'Haec oratio dicta est L. Caesare C. Figulo coss. post annum quam pro Cornelio dixerat.'

4) Hoc argumento ex silentio, si magnam Asconii diligentiam reputamus, quin uti nobis liceat, non dubium.

5) Lange R. A. I³ 876. 778. II² 200 sq. Cf. I. L. A. p. 396.

idus Quint. usque ad III ante idus Quint. comitia fieri non poterant, ea aliquanto post idus Quint. facta, orationem autem i. t. c. fere ipsis idibus Quint. vel paulo post habitam esse puto.

Contra hoc constat Orestinum pridie, quam Cicero dixit, in eum invectum esse¹⁾. Quod utrum eo tempore fecerit, cum S. C. intercedebat, an alio, quaerere ideo magni momenti est, quod illo demum explorato alterum: 'dixeritne Cicero ex tempore, necne' ad finem perducere possumus. Atque Drumannus²⁾ et Langius³⁾ putant Orestinum intercedentem Ciceroni dignitatem abiudicasse, et Ciceronem postero die dixisse. Contra Tjrdemanus⁴⁾ contendit Ciceronem ex tempore coitionem aggressum esse, Orestinum postero die intercessisse, quam Ciceroni maledixisset. Utra sententia sit recta, neque ex Asconii neque ex Ciceronis verbis elucet. Nam verba illius⁵⁾ 'eique rei Q. Mucius Orestinus tr. pl. intercesserat. Tum (scil. cum de intercessione referetur) Cicero graviter senatu intercessionem ferente surrexit atque in coitionem Catilinae et Antoni invectus est' et haec⁶⁾ 'Q. enim Mucius tr. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur, quod facere pro Catilina videbatur' in utramque partem accipi posse non nego, etsi Asconium, si intercessionem pridie, quam Cicero dixit, factam esse credidisset, hoc claris verbis indicaturum fuisse putem. Neque ex Ciceronis verbis⁷⁾ 'Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Muci, ut perseveret legem impedire, ut coepit senatus consultum' quidquam certi enucleare possumus. Etsi igitur desperandum sit de certo in hac causa iudicio, tamen licet perscrutari, utra sententia probabilior videatur

1) Cicero apud Ascon. p. 86 'qui hesternam die me esse dignum consulatu negabas'.

2) G. R. V 422.

3) R. A. III² 232: „Dem dieses Gesetz betreffenden Senatusconsultum intercedirte jedoch der Volkstribun Q. Mucius Orestinus. Da derselbe bei dieser Gelegenheit den Cicero als unwürdig des Consulats bezeichnet hatte, so hielt Cicero im Senate eine Rede gegen seine Mitbewerber Catilina und Antonius“: scil. post unum diem, quam tribunus intercessit, id quod frgm. 6 postulat.

4) Huius libellum, qui inscribitur 'in Q. Cic. de pet. cons. adnot. Lugd. Bat. 1838' inspicere mihi non licuit. Sententiam illam ex Drumanni G. R. V p. 422 cognovi.

5) P. 83. 6) P. 85. 7) Frgm. 13 (p. 88).

tur rationibus ex re ipsa desumptis. Iam faciamus Orestinum Ciceroni male dixisse eo tempore, cum S. C. intercessit: nonne mirum est Ciceronem ita provocatum tam diu dubitasse multo plures et graviore, quam acceperat, plagas tribuno infligere? Nonne timendum erat, ne tacendo ipse suam imbecillitatem affirmare videretur? Nam hoc pro certo habere possumus Ciceronem illo tempore, cum de nova lege de ambitu ferenda agebatur adversariis suis perniciose, nunquam senatui non interfuisse. Sed fortasse Ciceroni loquendi facultas non est data, seu senatus aliquam ob causam dimissus est, seu tribunus sero intercessit, ut de intercessione illo quidem die referri non posset. At qui fieri potuit, ut tribunus eodem tempore et intercederet S. C. et Ciceronem dignum esse consulatu negaret? Primum enim hae res tam diversae sunt, ut, quomodo coniungi bene potuerint, non videam. Deinde Orestinus imprudenter, vel potius stulte fecisset, si paene suis verbis declarasset se Catilinae et Antonii causae favere — scilicet pecunia eorum emptum — et ideo S. C. intercedere — scilicet ne quid noceret emptoribus suis —. Ne longus sim, ut intercessio in senatu fieri oportebat, ita convicium Ciceroni nusquam commodius dici poterat, quam in contione aliqua, a tribuno ad id ipsum convocata. Multas tum eiusmodi contiones¹⁾ habitas esse nemo negabit. Catilinam quoque opinor in contione aliqua 'se Ciceronem contemnere' praedicasse²⁾. Quibus de causis si cum Tjrdemano et Bruecknero³⁾ et Johnio⁴⁾ Orestinum pridie, quam intercessit, de Cicerone contumeliose dixisse statuimus, sequitur, ut orationem i. t. c. ex tempore habitam esse putemus. Cicero enim, ubi se a tribuno lacessitum esse audivit, forsitan, quomodo eum ulcisceretur, repente excogitavit, orationem certe neque animo neque litteris composuit, quippe quam loco, tempori, rebus aptare deberet. Itaque cum postero die in relatione de Orestini intercessione sententiam rogatus esset, occasione data tribuno novissimam eius in se iniuriam exprobravit, cum imprimis in Catilinae et Antonii coitionem invehere. Sane oratio eo vehementius patrum animos percussit, quo magis ex subita oratoris commotione atque indignatione orta

1) Cf. comm. pet. 13, 53. 2) Cf. frgm. 10 (p. 87).

3) Leben Ciceros cap. XI. med. 4) L. I. p. 734 med.

videbatur. Et quanquam periculosum ac difficile videtur e fragmentis coniecturam de integra oratione facere¹⁾, tamen, quoniam magnam huius orationis partem exstare supra ostendi, ipsum eius colorem atque elocutionem subitarii nescio quid prodere contenderim. Sed fortasse dicit aliquis facile fieri potuisse, ut Cicero non eam orationem, quam habuit, ederet, sed plus minusve mutatam. At haud absurda est Wirzii opinio Ciceronem, ubi senatu excesserit, statim orationem per servos litterarios conscribendam et divulgandam curasse putantis²⁾. Ciceronis enim valde intererat et senatores, qui tum afuerant, et omnes quotquot ant senatoriis partibus favebant, aut Catilinae machinationes timebant, ipsius voluntates et studia cognoscere. Hoc optime et facillime poterat consequi oratione cito edita. Porro nemo dubitabit, quin Cicero, si 'plerumque maxime necessaria et utique initia scripsisse, cetera cogitatione complexus esse' fertur³⁾, hanc orationem sine ullo labore ex tempore habere potuerit. Accedit, quod oratori de paucis tantummodo rebus, quae ei illo ipso die, quo dixit, innotuerant, — de intercessionem Orestini, de conventu domi Caesaris vel Crassi noctu facto — de improvise dicendum erat, cum totam fere reliquam materiam iam diu conquisitam ac dispositam mente teneret. Deinde orationis argumentum tam parvum ac tenue erat, ut Cicero saepius easdem res attigerit⁴⁾, non solum quo clarius eas illustraret, sed etiam ne argumenti cognosceretur exiguitas. Praeterea res tractandas ei facile disiungere ac fere rebus, ut ab adversariis gestae erant, simpliciter enarratis optimam componere licebat orationem. Denique ne omittas Quintum Ciceronem fratri suo magnam partem materiae suppeditasse omnibus flagitiis Catilinae et Antonii in

1) Audacius haec dicit Johnius (l. l. p. 710): „Dies zeigt er meines Erachtens am deutlichsten dadurch, dass er in seiner Candidatenrede aus dem Jahre 690 — in dem erschöpfenden Sündenregister Catilinas nichts davon erwähnt hat“ (cf. p. 733 et mus. rhen. 31 p. 413 sq.). Tale argumentum, quod dicimus ex silentio, adhibere non debuit. An certo affirmare possumus Asconium omnia, quae enarratione egebant, enarrasse? Quid? si consulto nonnulla ut nota omisit, quae nobis satis obscura viderentur?

2) L. l. p. 28. Cf. Ascon. p. 95 'Ferunt quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obrectatoribus.'

3) A Quintiliano X extr. 4) Ascon. p. 84. 86.

commentariolo petitionis accurate enumeratis. Cum autem veteres sine ulla dubitatione alienas sententias atque elocutiones in suum usum convertisse notum sit, non habemus, quod Ciceronem, qui monumentum illud fraterni erga se amoris et studii sane diligenter perlegit, vel tantillum dubitasse arbitremur, quin, quae sibi viderentur, ex fratris libello desumpta memoriter huic orationi intexeret.

Sed existet mihi hoc loco Eussnerus¹⁾, haud spernendus adversarius, opponetque commentariolum petitionis ementiri Quintum auctorem, scriptum esse a nescio quo rhetore l. p. C. saeculi. Quod si verum esset, Marcum furti suspitione purgare possemus. At vereor, ne vir doctissimus, quia Marco furti crimen afferre non audebat, argumentis suis iusto plus tribuerit momenti. Et quanquam Wirzius, postquam Baehrius dubitanter ea de re dixit²⁾, Eussneri argumenta non tantam vim habere ostendit, ut commentariolum spurium putemus³⁾; tamen, quia res nondum absoluta videtur esse, eam denuo pertractare et, quod possim, ad finem perducere hoc loco idcirco non alienum puto, quod, si appareat commentarioli auctorem nonnulla ex hac oratione furatum esse, nobis furta repetere iisque ad restituendum huius orationis tenorem uti licebit, sin evincatur Quinti esse commentariolum, de largiore fructu ex eo percipiendo desperare debemus. Rem ita instituiam, ut prius quam ad leviora et tanquam subsidiaria transgrediar argumenta, ea refutem, quae potentissima videntur. Ac maximi quidem momenti esse putat Eussnerus⁴⁾, quod 'mira multarum sententiarum intercedat similitudo inter commentariolum et orationem i. t. c., pro Plancio, pro Murena habitas atque primam Marci ad Quintum epistolam'. Primum omittere debuit Plancianam, quam cum attente perlegerem, nusquam deprehendi talis similitudinis vestigium. Deinde falso contendit⁵⁾ orationis i. t. c. habitae locorum consimilium, ut in tanta reliquiarum orationis paucitate perquam magnum esse numerum⁶⁾; nam, ut supra⁶⁾ ostendi, tertiam fere orationis partem superstitem habemus. Inveniri autem duos tantum locos mire cum duobus commentarioli locis congruentes Buecheler recte demonstra-

1) V. s. p. 9 n. 1. 2) in Heidelb. Jahrb. 1872 p. 620—624.

3) Philol. Anzeiger 1873, 499—505. 4) L. l. p. 15.

5) Ibidem. 6) P. 9—11.

vit¹⁾. Iam si casu fieri potuit, ut Asconius omnes ex oratione locos similes — scil. illos duos — eligeret, num exprobrabimus Marco tam levem fraterni libelli expilationem? Quid? quod Marcus ex Graecorum scriptis permulta et palam et clam in suum usum convertit? Denique Marcus, si orationem suam fratris aliquibus ornavit sentiis, hunc tantum aberat ut laederet, ut ei gratissimum faceret, quod is commentariolum non solum fraterni amoris testimonium, sed etiam Marco usui esse volebat. Neque vero ex commentarioli clausula (14, 58) concludere debemus Quintum divulgandum curasse commentariolum; nihil enim aliud significat nisi hoc: 'Quamquam hic libellus tibi soli, non aliis, destinatus est, tamen peto, ut eum perpolias.' Ergo nihil prohibet, quominus Marcum duos illos locos ex fratris scripto depromptos suae orationi interposuisse putemus. Deinde Eussnerus memorat orationem pro Murena et primam epistolam ad Quintum multis locis cum commentariolo cum sentiis tum verbis mire consonare. At ex 15 locis, quos ex oratione pro Murena attulit, certe unus eximendus est ut nec verbis nec sententia similis (pro Mur. 34, 71: comm. pet. 6, 21). Decem paria uno vel duobus verbis concinunt, sententia nullum. Quorum specimen apponam hoc:

pro Mur. 24, 48 cum populum Romanum in eum metum adduxisti	comm. pet. 6, 23 adducenda amicitia in spem
--	---

Eiusdem generis reliqua sunt paria. Quid igitur? scriptorem commentarioli, ut talia cognosceret verba vel enuntiata, orationem pro Murena adisse consentaneum est? Graeculum hunc vel barbarum fuisse credo, non rhetorem romanum, 'tempore ab ipsa Ciceronis aetate proximo florentem'²⁾. Sed restant ex multis illis locis quattuor paria magis, ut videtur, concinentia (pro Mur. 11, 24: comm. pet. 1, 2. pro Mur. 21, 43: comm. pet. 14, 56. pro Mur. 21, 44: comm. pet. 9, 34. pro Mur. 23, 47: comm. pet. 6, 24. Cf. Eussnerum l. l. p. 15). Fateor similes utrim-

1) Commentarioli petitionis locos affero secundum editionem Quinti Ciceronis reliquiarum Lipsiae a. 1869 a Buechelero curatam; cf. ibi p. 9. Loci sunt: comm. pet. 3, 10: or. i. t. c. h. p. 92 et comm. pet. 3, 12: or. i. t. c. h. p. 94.

2) Cf. Eussner. l. l. p. 22.

que comparere locutiones, sed nolo ita rem expedire, ut unum auctorem ab altero furatum esse dicam. Mirandus profecto ille rhetor, si tantummodo ea, quae et ipse, ut honio romanus, in ore habebat, transscribere maluit, quam totas sententias. Ego cum Wirzio rem sic explico: quoniam in oratione pro Murena uberius de ambitione disputatur, quod in commentariolo praecipue de ambitu agitur, non est mirum in utroque scripto consimiles locos inveniri. Pergamus nunc ad primam ep. ad Quintum fratrem. Huic si ponendum erit artam necessitudinem cum commentariolo intercedere, ego abiciam hastas, quia incredibile est Marcum ex fratris libello deprompta huic remisisse. Percenseamus igitur 17 locorum paria ab Eussnero hic enumerata. Atque, ut in principio iudicium meum ponam, nusquam ne speciem quidem angustioris cuiusdam coniunctionis potui investigare. Nam quae verba vel enuntiata Eussnerus alteri scriptori ab altero erepta esse arbitratur, ea tunc tritissima erant et ab omnibus usurpabantur. De duobus tantum locorum paribus:

ep. ad Q. fr. I 6, 18 quid enim ei praecipiam, quem ego in hoc praesertim genere intellegam prudentia non esse inferiorem, quam me?	comm. pet. 14, 58 haec sunt quae putavi non melius scire me quam te, sed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum posse.
---	--

12, 36 at ea quidem — non ut te instituerem scripsi —	1, 1 non sum alienum arbitratus ad te perscribere — non ut aliquid ex his novi addisceres
---	---

forsitan aliter, quam de reliquis iudicandum est, non quidem ita, ut hanc orationis formam, qua urbani utuntur, surreptam esse a Marci epistola affirmemus — an falsarium finges tam rusticum, ut urbanitatem doceri oportuerit? — immo Marcum iisdem usum urbanitatis figuris fratri respondisse veri simillimum est. Tum Eussnerus verba, quae et in prima ep. ad Quintum et in commentariolo saepius leguntur, enumerat. Nimis argute, puto. Fieri enim non poterat, quin propter consilium et argumentum simillimum in utroque scripto eadem verba, eadem formulae ac locutiones saepius usurparentur. Quod vero et Marcus et Quintus similiter 'in excursu abire' videntur, aut casu factum est, aut Marcus consulto fratris libellum respexit. Quibus demonstratis

quicumque rem libere et simpliciter retractaverit, mihi adsentietur locos ab Eussnero allatos non adeo congruere, ut unum scriptorem ab altero sumpsisse existimemus. Sed fac nonnullos locos mire consonare: num continuo cum Eussnero ratiocinabere? Annon Quintus cum Marco fratre saepe convenit, de multis sane rebus ac maxime de petitione consulatus disputavit, denique ut discipulus modo hanc modo illam cogitationem a fratre excepit?

Ceterorum argumentorum, quae ipse Eussnerus concedet minoris ponderis esse et fere concidere una cum illis, quae modo debilitavimus; distinguenda sunt duo genera, quorum alterum complectitur argumenta ex commentariolo ipso, alterum aliunde sumpta. De hoc prius disserere liceat. Offendit Eussnerus¹⁾, quod commentariolum initio demum a. 690/64 scriptum sit, neque omnes competitores enumeratos habeat. At tum demum vera inter candidatos certatio exoriebatur, neque opus erat de iis, qui iam tum plane iacebant, verba facere. Deinde Eussnerus 'hoc factum esse' negat²⁾, 'ut praeciperetur ab eo homine, qui tum non modo vir consularis non erat, sed ne praeturam quidem attigerat.' Quasi vero ambitus naturam in quaesturae petitione cognoscere non potuerit! Quid? si ipse brevi post praeturam petiturus erat, nonne, quae ad talis magistratus petitionem necessaria essent, diligenter debebat perquirere? Multo etiam infirmiores sunt eae rationes, quas Eussnerus tanquam subsidiarias addit. 'Fictae', inquit³⁾, 'epistolae (scil. ep. ad Octavianum) alteram adiectam esse item suppositiciam' (scil. commentariolum). Nonne eadem cum probabilitate et simplicius concludemus illud propterea factum esse, quod commentariolum, cum inter Marci orationes ferretur, Marci non esse librarii intellegebant? Non magis suffragatur Eussnero quod Asconius commentarioli nullam mentionem fecit. Quid? si subditicias illas orationes, quanquam ut contra ipsam orationem i. t. c. habitae haud leviter eam attingebant, tamen paene silentio transiit, nonne multo etiam rectius de commentariolo omnino tacuisse videtur? Quid de eo dicere potuit? Nempe ea, quae tum notissima erant. Veniamus deinceps ad alterum genus argumentorum, quod pertinet ad commentariolum ipsum et ea, quae de Quinti genere dicendi ac moribus tradita sunt. Negat Eussne-

1) P. 4. 2) P. 4. 3) P. 23.

rus¹⁾ hunc libellum epistolam esse, quod notissima proferat, cum Marcus ipse declaret 'epistolae proprium esse, ut is, ad quem scribatur, de iis rebus, quas ignoret, certior fiat.' Rectissima haec. At Marcus alio loco²⁾ haec dicit: 'Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentis, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset — reliqua sunt epistolarum genera duo — unum familiare et iocosum, alterum severum et grave.' Nihil manifestius, quam hunc libellum generis severi et gravis h. e. eam epistolam esse, quam nos dicimus 'Sendschreiben'. Atque hoc ipsum Quintus in clausula epistolae praedicat his verbis: 'volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum'. Si res ita est, num crimini vertemus Quinto quod, quo scripserit loco, aperte significare superedit? Id Marcus profecto sciebat, aliorum scire non intererat. Iam vero valde miror Eussnerum huic libello obicere³⁾ quod, cum solum ambitum tractet, non perfectum sit commentariolum petitionis. Num hoc sibi sumit? Contra in fine libelli dicit Quintus: 'quae tametsi ita sunt scripta, ut non ad omnes qui honores petant, set ad te proprie et ad hanc petitionem tuam valeant, tamen tu —'. Quid igitur? propterea a Quinto commentariolum abiudicabimus? Maxime eum reprehendere licebit, quod solam fratris petitionem respexerit. Quid? si soli fratri destinatum esse commentariolum manifesto declarat, si, ut supra⁴⁾ vidimus, nullo ex loco elici potest eum illud divulgare voluisse? Nam concedo Eussnero Quintum non tam libere de Pompeio, popularibus, optimatibus dicturum fuisse, si libellum suum proferre cogitasset in publicum. Sed si Quintus familiariter ad fratrem scripsit, non mirum nos hic secretiores eius sententias expositas habere.

Iam restat, ut de commentarioli sermone ac dispositione pauca disseramus. Quodsi Eussnerus vituperat⁵⁾, 'rarissime efferri commentarioli sermonem, paucas esse translationes verborum, crebriores aliquanto interrogationes, cumulas anaphoras; miram esse similitudinem commissurarum, putidam et nonnunquam falsam distributionem, nullam denique verborum copiam': haec omnia nimis acute urgeri videntur. Nam Quintus cum ipse commentariolum

1) P. 5. 2) Ad fam. 2, 4. 3) P. 6. 4) P. 16. 5) P. 7 sqq.

perfectum esse neget, tum, id quod Wirzius recte monet¹⁾, propter argumentum durum et asperum vix aliter scribere potuit, cum praesertim poeta potius esset, quam orator. At vero Eussnerus minime convenire, ait²⁾, ieiunum commentarioli sermonem ei, 'qui in oratione pedestri subtiliter et ornate, suaviter et graviter, Aristophaneo etiam modo scripsisse feratur'. Ego primum moneo, ne nimium fraternis illis blanditiis tribuamus. Deinde Eussnerum neglexisse puto libros de oratore a. 699/55 et primam libri tertii ad Quintum epistolam a. 700/54 scriptam esse³⁾. Intra 9 vel 10 annos sermo non solum excoli et limari, sed etiam immutari solet. Quam ob causam etiam Eussnerus⁴⁾ cavere debuit, ne 'epistolarum sermoni facili et iocoso' opponeret 'morosam et difficilem commentarioli orationem', quoniam illae 5, 15, 20 annis post scriptae sunt, quam hoc ortum videtur esse⁵⁾. Quid? quod inter quattuor illas epistolas atque commentariolum ne intercedunt quidem tales discrepantiae, quales Eussnerus statuit? Immo deprehendimus 'putidae illius divisionum ostentationis⁶⁾', quam Eussnerus in commentariolo valde castigat, exempla etiam in Quinti epistolis. Subscribam hic locos:

ep. 1. et tibi et ago gratias et gratulor	comm. pet. 12, 48 et incertum est et in diem et in paucioribus
1. Sabini pueris et promisi omnia et faciam	— et certe abalienes et statim et pluris (cf. §§ 3. 14. 18. 25.
3. et vera et dulcia nuntiantur	31. 33. 39. 44. 55).

Porro cum appareat Quintum bis in una epistola sententias ita coniunxisse, ut unum enuntiatum relativum alterum sequeretur nullo vinculo cum illo conexum, simillimas in commentariolo exstare structuras haec comparatio docebit:

ep. 4. quos ego penitus novi — plenos, qui nisi — recesserint — est. incredibile est, quae ego — fecisse, quos ille latro, nisi — fuerit — deleniet.	comm. pet. 11, 44 vultu ac fronte, quae est animi ianua, quae si significat — parvi refert — 6, 21 nedum ii, quibus saluti fuisti, quos tu habes plurimos — (Sic praeterea ter.)
--	--

1) L. 1. p. 503. 2) P. 6.
 3) Cf. Teuffelii hist. litt. rom.³ §§ 182, 2. 184, 3. 4) L. 1. p. 7.
 5) Cf. Buecheleri praef. edit. Q. Cic. r.ell. p. 3. 6) P. 7. 12.

Adde, quod et Quintus et commentarioli auctor mirum quantum adamant sententiarum structuras elegantiores, velut:

ep. 4. maximum ab universo naufragio periculum	comm. pet. 8, 33 illa adolescentulorum ad amicitiam aetas adiungitur
--	--

Denique ne illud quidem Eussneri sententiam confirmat quod, cum in epistolis 1. et 3. his inveniamus 'etiam', nusquam 'quoque', in commentariolo exceptis duobus locis, ubi 'quoque' legitur (9, 34 et 10, 40), semper particula 'etiam' oculis nostris occurrat. Sed haec haec. Satis certis enim argumentis evicisse mihi videor Eussnerum iniuria a Quinto Cicerone abiudicasse commentariolum petitionis. Quod cum vero auctori redditum esse laetetur, tum nulli fere nobis usui fore ad restituendum orationis nostrae tenorem valde dolemus.

Caput alterum.

Iam ad fragmenta, quae supersunt, transeamus ita, ut prius quam ipsa enarrare, corrigere, ordinare conemur, qua Asconius ratione in deligendis iis enarrandisque usus sit, explicemus. Ac simplicissima ratio erat eodem ordine fragmenta enumerandi, quo sese excipiebant in libris Ciceronianis; eamque ab Asconio adhibitam esse commenta in Pisonianam, Scavianam, Milonianam luculenter edocent. Sed interdum ab ea declinavit, neque vero hoc aliquo modo significare neglexit. Velut in Pisonianae enarratione haec legimus¹⁾ 'quis fuerit socer Pisonis patris, ipse supra dixit his verbis'. Ergo si Asconius nulla re soliti ordinisurbationem indicavit legentibus, ordinem integrum esse cogemus. Porro enarrator diligentissimus hic nos in definiendis spatiis, quae inter singula fragmenta videntur fuisse, optime adiuvat si non versuum numeris, at saltem his notationibus adscriptis: 'statim²⁾, paulo post³⁾, postea⁴⁾, quo loco⁵⁾.' Atque 'statim' cum non aliam, quam vulgo, vim habere duo loci Pisonianae⁶⁾ declarent, etiam in

1) P. 52. 2) P. 85. 3) P. 91. 4) P. 84. 86. 5) P. 90.
 6) Ascon. p. 10. 14. 15 (cf. p. 67. 73 et Ciceronis edit.). Similima est huic notatio 'sequitur' (p. 67. 80).

nostra oratione alterum fragmentum continuo sequi alterum indicat. Deinde habemus 'paulo post', notationem satis ambiguam. Nam Pisonianae et Milonianae enarrationibus perlustratis eam spatia modo 11 verborum modo 28 versuum significare vidi¹⁾. Excipio enim unum locum, ubi septem paragraphos inter duo fragmenta interesse doceret, nisi illic nonnulla in codice intercuisse veri esset similis²⁾. Idem quod 'paulo post', valet 'paulo ante', quam notationem Asconius ter usurpat³⁾, ubi quid a se iam supra dictum esse monet. Etiam latius patet significatio vocabuli 'postea'⁴⁾ eandemque vim habet atque vulgo. Denique in hac oratione reperimus quasi titulos 4 fragmentis praescriptos (p. 85) 'Hunc Mucium in hac oratione Cicero appellans sic ait', (p. 90) 'Quo loco dicit Catilinam caput M. Mari gestasse', (p. 91) 'Loquitur cum Catilina', (p. 94) 'Dicit de malis civibus'. Ex his de magnitudine spatiorum fere nihil concludi potest. Nam ea quoque notio, cuius potestas certo terminari posse videatur, 'quo loco', tam ambigua est, ut, si Milonianam respexeris⁵⁾, amplius fere pateat, quam 'postea', si hanc orationem, haud multum discrepare videatur a notatione 'statim'. Praeterea Asconius in ipsa enarratione quinque earum orationis partium, quae interierunt, vel rationem habuit, vel aliqua servavit. Ex quibus quantum lucrari possimus, considerandum est. Memorat igitur Asconius (p. 84): 'Nominatim etiam postea Cicero dicit quos occiderit (scil. Catilina), Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tanusium.' Sed quo hos nominaverit loco, non apparet, nisi hoc post secundum fragmentum esse factum. Verum tribus tantummodo locis illos nominare poterat Cicero, nempe post fragmenta 9. 19. 23 (24). At post fragmentum 9. nefaria Gratidiani caede memorata satis evincebatur Catilinam parvi fecisse populum romanum. Contra nomina illa magna cum probabilitate collocabimus post fragmentum 19. Nam quoniam Cicero in fragmento 21. Catilinae quasi praenuntiavit capitis periculum propter caedes commissas subeundum, ne falsus vates

1) Ascon. p. 8: 11 verba; p. 9: 15—16 versus; p. 11: 9 versus; p. 15: 28 versus. Ascon. p. 43: 14—15 versus; p. 44: 10—11 versus; p. 49: 7—8 versus.

2) P. 49. Haec est sententia Hermanni Gaumitz, quam nuper in medium protulit in Leipz. Stud. 1879 t. II 2 p. 272. n. 2.

3) P. 84. 87. 89. 4) P. 84. 86. 5) P. 53.

videretur, antea absolutam omnium flagitiorum Catilinae imaginem depingere debebat. Tum inter fragmenta 23. et 24. haec nomina a Cicerone iterum memorata esse infra demonstrare studebimus. Deinde dicit Asconius (p. 84): 'quod crimen saepius ei tota oratione obicit'. Notio 'saepius' quam vim habeat, ex ipsis Asconii verbis intelligimus (p. 93): 'dictum est iam saepius Catilinam ex praetura Africam obtinuisse'. Ter autem eam rem memoraverat¹⁾, et in Cornelianae et in huius orationis commentario, neque in deperditis, qui hunc antecederant, talis mentionis locus fuit. Itaque certe tribus locis Gratidiani caedem Catilinae exprobratam esse puto. Quod cum bis in fragmentis 9. et 18. 19. factum videamus, tertius locus est investigandus. Nusquam autem commodius caedes illa memorari poterat tertium, quam inter fragmenta 23. et 24. una cum caedibus Caecilii, Volumnii, Tanusii. Infra ea de re plura; nunc ea reputemus, quae Asconius dicit p. 86: 'et cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat?' Quod cum ter in fragmentis attingatur (in frgm. 4. 16. 24^a), non necesse est quartum circumspicere locum. Tum non omittenda haec Asconii verba (p. 92): 'quem Cicero ait avunculum esse Catilinae' — eo consilio, opinor, ut, si Bellienus, Catilinae propinquus, damnatus esset, eo minus fore, ut Catilina effugeret, tanquam ominaretur. Id autem ante fragmentum 20. fecit, nam 20. et 21. arte cohaerent. Maximi vero pretii est quintus locus, quippe quo Asconius ipsa Ciceronis verba afferat (p. 92) 'cum et imperitos se homines esse et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent ac negarent quoque: Catilinam vero infitari non posse'. Et oratio obliqua et verba 'negarent quoque', quia respondent verbis fragmenti 21. 'denique illi negare potuerunt et negaverunt', ostendunt ab Asconio ea quoque servata esse, quae inter fragmenta 20. et 21. erant. Quare illa verba in rectam orationem versa infra suo loco restituam²⁾.

1) Cf. noviss. edit. praef. p. XVII, ubi post lin. 10. (II. In oratione in toga candida:) haec sunt addenda: 'p. 75, 13 de quo paulo ante mentionem fecimus = p. 74, 17'.

2) Etsi non satis certo definire possum, quid praeterea Asconius in enarrationem transtulerit ex hac oratione, tamen, quae ex ea pendere verisimile est, hic proponam. Atque argumenti quidem orationis, quod Asconius enarrationi praemisit, cum priorem partem (de competi-

Sed satis de Asconio. Ciceronis verba, quae deperditis orationis partibus aliquantum lucis afferre possunt, si in enarrandis fragmentis in ea incidere, diligenter excutiam. Nunc fragmentorum ordinem valde turbatum esse, si placet, demonstrabo. Hoc enim manifesto ea ex re apparet, quod pars fragmenti 8. cum 24. plane congruit, nisi quod hic nonnulla verba exstant, quae illic desunt ('cuncto populo reclamante ac resistente'). Absurdum esset contendere Ciceronem eandem sententiam iisdem plane verbis bis in eadem oratione elocutum esse; immo Asconium illa verba, quae iam antea descriperat, suo loco vel consulto vel casu repetivisse censebimus. Attulerat autem primo loco fragmentum 8. simul cum fragmentis 5. 6. 7. ea mente, ut Catilinam ab Cicerone non defensum esse ipsis Ciceronis verbis probaret. Quae

toribus Ciceronis) una cum primi fragmenti enarratione ex Ciceronis 'expositione consiliorum suorum' (Ascon. p. 83. Cf. supra p. 4. n. 2.) fluxisse putem, tum alteram ('Causa orationis' etqs.) secundum hanc orationem conformatam esse censeo. Iam 'Gratidianum arta necessitudine Ciceroni coniunctum fuisse' (p. 84) unde cognoverit Asconius, non minus dubium est, quam ex quo fonte ea quae sequuntur (p. 84) desumpta sint; equidem haec verba 'nam is — turmas' huic orationi, reliqua usque ad frgm. 2. aliis fontibus deberi puto. Deinde in frgm. 4. enarratione (p. 85) Asconius haec: 'accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente' ex ipsa oratione cognoscere potuit; quae sequuntur: 'qui postea inimicus Ciceronis fuit' omnibus erant notissima. Tum verba: 'Q. enim Mucius tr. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur; quod facere pro Catilina videbatur' (p. 85) ex hac oratione originem duxisse veri simillimum habeo. Neque vero minus probabile est haec: 'Ita quidem — esse facta' (p. 87) ex eodem fonte hausta esse. Tum 'Q. Mucio tr. pl. cognomen Orestino fuisse' (p. 89) dubito, num aliunde cognoverit Asconius, quam ex hac oratione. Etiam haec: 'Catilinam per infamiam repetundarum iudicio liberatum esse ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret', (p. 90) in oratione i. t. c. h. si non inventa, tamen conclusa esse ex ea ab Asconio opinor. Tum frgm. 21. enarrationem magnam partem ex hac oratione originem traxisse supra ostendi (p. 23). Quibus porro frgm. 25. enarrat Asconius, ea ex eodem Ciceronis libello sumpsisse videtur, quem post frgm. 1. ut fontem suum nominavit. Denique satis certum mihi videtur verba 'malis civibus' (p. 94 ante frgm. 27.) in or. i. t. c. h. exstitisse. Sed ea, quae modo exposui, quoniam ambigua sunt, nec discerni potest, quae Asconius ex ipsa Ciceronis oratione in suum libellum transtulerit, quae ex coniectura orta sint, quaeve aliunde fluxerint, cavendum est, ne iis infra, ubi frgm. complere studebimus, incaute utamur.

fragmenta quoniam eadem de causa omnia sunt prolata, si unum eorum ex inferiore oratione sumptum esse constat, sequitur, ut de reliquis idem sit iudicandum. Nam ex superiore quodquam electum esse nego propterea, quod iam tum Asconius contra Fenestellam dicendi occasionem arrepturus fuisset. •Quo denique quattuor illa fragmenta inseri debeant, exquiremus, cum in enumerandis fragmentis ad illos locos pervenerimus; nunc autem de singulis fragmentis deinceps agendum¹⁾.

Primum fragmentum hoc est:

I. (1.) *Dico, P. C., superiore nocte cuiusdam hominis nobilitis et valde in hoc largitionis quaestu docti²⁾ et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.*

His verbis, quae, quanquam obscure dicta erant, tamen ab omnibus profecto, qui audiebant, intellegebantur, Cicero ea, quae tum Crassus et Caesar agitabant, perstringens hos veros ambitus licentiae auctores nuncupavit. Quodsi reputamus 'causam orationis — fuisse, quod propter praecipuam Catilinae et Antoni audaciam censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur, eique rei Q. Mucius Orestinus tr. pl. intercesserat³⁾, facile exordium orationis restituere possumus. Nam quoniam Cicero, cum de Mucii intercessione referebatur, sententiam rogatus in competitores invectus est, tum temporis aptissimum erat principio de intercessione, deinde de ambitu disseri, tum paulo ante fragmentum primum ambitus mentionem factam esse haec verba ostendunt 'in hoc largitionis quaestu'. Ceterum opinor verbum 'dico', quod primum fragmentum incolat, post aliquotiens eadem ratione repetitum esse; neque enim solum 'convenerunt' Catilina et Antonius, sed etiam consilia secreta agitaverunt. De his autem certiorum factum esse Ciceronem, per speculatores scilicet, demonstrant ea, quae ipse in 'expositione consiliorum suorum' de Crasso et Caesare memoravit⁴⁾.

1) Recipio plerumque eas lectiones, quas Kiesslingius et Schoellius proposuerunt; a quibus ubi recedam, id claris verbis indicabo.

2) Necessariam duco Halmii coniecturam; etsi enim 'noti' per se bonum sensum praebet (significat 'berüchtigt', cf. pro Cael. 13, 31; Verr. acc. 1 6, 17; Verr. act. 6, 15), tamen valde dubito, num Cicero dixerit 'notus in aliqua re'.

3) Ascon. p. 83. 4) Ascon. p. 83; v. supra p. 4. n. 2.

Sequitur fragmentum secundum:

II. (2.) *Quem enim aut amicum potest habere is qui tot cives trucidavit, aut <clientem is> qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?*

Quod fragmentum quomodo cum primo cohaereat, non difficile est dictu. Hic enim erit, ut opinor, sententiarum nexus: Catilinam et Antonium fautoribus uti nobilibus quibusdam viris (1.); praeter eos neque ex senatu neque ex populo quemquam habere amicum (2.).

Iam omisso orator Antonio de solo Catilina dicit primum in fragmento

III. (3.) *Nec senatum respexit¹⁾, cum gravissimis vestris decretis absens notatus est.*

Inter hoc et fragmentum sequens:

IV (4.) *In iudiciis quanta²⁾ vis esset didicit, cum est absolutus: si aut illud iudicium aut illa absolutio nominanda est. non ita multa intercederunt. Illic enim vexationes provinciae Africae, hic iudicium significatur ob eas de Catilina factum. Absolutus erat ab equitibus et tribunis aeriis, quibus huius rei ignominia iniusta iis senatoribus gratum fecit, qui illum damnaverant³⁾; idque eo magis, quod ii antea in iudiciis regnantes, tunc equitibus et tribunis inferiores his valde gaudebant aliquid exprobrari.*

Venimus nunc omissis iis fragmentis, quae ab Asconio extra ordinem allata sunt, ad fragmentum nonum:

V. (9.) *Populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.*

Gravissima hoc loco quaestio oritur, utrum fragmentum nonum continuo excipiat quartum, necne. Potuit enim fieri, ut Asconius eo,

1) Traditum est: 'ne se (si) iam tum (tam) respexit (despexit)'. Johnius (mus. rhen. 31, 401. n. 1) frustra defendit hanc scripturam: 'nec se iam tum respexit'. Haec enim minime significant 'schon damals nahm er keine Raison an'. Praeterea 'se respicere' Cicero nusquam, Plancus et Terentius uno uterque loco dixere. Scribendum est cum Kiesslingio-Schoellio 'nec senatum respexit'. Similiter Cicero infra dixit (p. 90) 'a senatoribus?'

2) I. e. 'wie wenig'; similiter dixit C. (p. 87) in frgm. 9. 'quanti faceret'.

3) Ascon. p. 90.

unde digressus erat, nollet redire, sed ut post fragmentum octavum pergeret interpretari. Si hoc statuimus: quo tandem modo fragmentum nonum cum antecedentibus coniunctum fuit? Paucis adumbratae sunt in fragmento septimo singulae res, quae postea exponuntur pluribus. Cum igitur in fragmento octavo Cicero de his verbis 'diripuit socios' uberius dicat, fortasse haec 'caede nefaria cruentavit' in fragmento nono descripta esse putabis. At neque est Ciceronis tam confuso res propositas ordine illustrare, neque fragmentum nonum ad illa verba pertinet. Nam ibi exemplo caedis Gratidiani demonstratur, quantam in populum impudentiam ostenderit Catilina. Porro vocula 'vero' (frgm. 9.) iam antea de Catilinae impudentia dictum esse indicat. Denique fragmentum nonum excepisse octavum rati, quod fragmentum 8. cum 24. coniungendum est, nonum post vicesimum quartum collocare Asconiumque mirifice omnia permiscuisse fragmenta credere cogemur. Quid plura? Si fragmentum nonum post quartum ponimus, optime procedit oratio. Manifestum est enim fragmenta 3. 4. 9. et

VI. (10.) *Me qua amentia inductus sit ut contemneret, constituere non possum. Utrum <me>¹⁾ aequo animo laturum putavit? At²⁾ in suo familiarissimo viderat me ne aliorum <quidem> iniurias mediocriter posse ferre.*

et forma et sententia cognata esse. In omnibus enim non solum ea notio, quae gravissima est, primum locum tenet (nec senatum — in iudiciis — populum vero — me), sed etiam mentio fit impudentiae, qua fuerit Catilina in senatum (frgm. 3.), in iudices senatorios (4.), in populum (9.), in Ciceronem (10.). Hunc quidem maxime laesit Catilina, quod illius auxilium a. 689/65 ultro oblatum repudiavit eamque rem in contione aliqua Ciceronem irridens non dubitavit aperire. Non enim persuadere mihi possum Ciceronem haec dicturum fuisse (in or. pro Cael. 6, 14) 'me ipsum, me, inquam, quondam paene ille decepit, cum et civis

1) Consentio cum Kaysero 'me' esse inserendum, sed hanc voculam post 'utrum', quam post 'laturum' ponere malo. Nam si scriptum erat 'utrummeequo' (cf. Ascon. p. 84/75. n. 15. 'equa in re') 'me' facillime poterat excidere.

2) Comprobo cum Kiesslingio Madvigii coniecturam 'at' pro 'an' scribentis.

mibi bonus et optimi cuiusque cupidus et firmus amicus ac fidelis videretur, nisi Catilina antea rem in medium protulisset.

Hucusque Catilinae facinora enumerata sunt; sequitur altera pars orationis, qua demonstratur Catilinam et Antonium, quocunque possint modo, consulatum occupare velle. Comparare igitur sibi socios gladiatoresque (frgm. 11. 12.) ad vim faciendam paratos, praeterea per Orestini pecunia corrupti intercessionem impedire S. C. ac legem de ambitu denuo rogandam (13.).

VII. VIII. (11. 12.) *Alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet, ex quibus ait se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum.* (12.) *Alter induxit † eum quem potuit,¹⁾ ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; praesente populo Romano factum est.*

Haec duo fragmenta tam arto formae ac sententiae nexu coniuncta sunt, ut unum ex iis efficere probabilius sit, quam aliquid inter ea supplere. Contra inter fragmenta 10. et 11. haud pauca interisse censeo.

Pergimus ad fragmentum

IX. (13.) *Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Muci, ut perseveret legem impedire ut coepit senatusconsultum; sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.*

Quaerendum est, 'quamobrem' Cicero tribuni mercedem augendam esse dixerit: scilicet quod Orestinus S. C. tam scite et constanter etiam fremente senatu intercedebat, ut corollarium insuper meruisse videretur. Haec igitur ante fragmentum 13. exposita sunt. In hoc autem fragmento Cicero Catilinam frustra laborare monet; nam consulatum non impetraturum, immo poenas propter ambitum etiam lege Calpurnia esse daturum. Qua sententia Cicero transgressum sibi paravit ad tertiam partem orationis, ubi, quantulam spem consulatus occupandi habeant competitores sui, docet. Exstant ex hac parte fragmenta 14. 15. 16. 17. 18. 19. Proponam singula.

X. (14.) *Atque ut istum omittam in exercitu Syllano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium —*

¹⁾ Haec verba sana esse nego, sed emendationem satis probabilem invenire mihi non contigit.

XI. (15.) *Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcacio eos. in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt.* XII. (16.) *A senatoribus? qui te auctoritate sua spoliatum ornamentis omnibus vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt?* XIII. (17.) *Ab equestri ordine, quem trucidasti?* XIV. (18.) *A plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut <te> nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere possit?*

XV. (19.) *Quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Syllam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.*

Quorum fragmentorum primum et ultimum parvis spatiis ab antecedentibus et a sequentibus distare, reliqua fere continuari et in totum posse coniungi videntur. Quamquam non nego Asconium fortasse nonnulla vocabula, sicut in fragmento 8. verba 'cumeto populo reclamante ac resistente' praeteriit, ita in his quoque fragmentis omisisse. Ceterum clare hic perspicui potest accuratissima enuntiatorum descriptio. Legimus enim: 'a principibus, qui — (15.) a senatoribus, qui — (16.) ab equestri ordine, quem — (17.) a plebe, cui — (18.).' Similiter in fragmentis 3. 4. 9. 10. singuli enumerantur, quos Catilina haeserit. Apparet et hic et illic Ciceronem perparvam materiem eo consilio tam subtiliter et accurate disinnxisse, quo plura et graviora dicere videretur, quam dixit. Iam quae inter fragmenta 14. et 15. et inter 18. et 19. perierint, non difficile est exploratu. Nam post fragmentum 14. narravit Cicero Antonium suo beneficio ex ultimo ad tertium locum praeturae pervenisse, nec vero facilis consulatum nacturum esse. Deinde ad Catilinam transit eumque neque a principibus civitatis (15.), neque a senatoribus (16.), neque ab equitibus (17.), neque a plebe (18.) creatum iri confirmavit. Postremo, quo maiorem Catilinae invidiam faceret, in caede Gracidiani diutius commoratus est. Hoc loco quae desunt supplendi opportunitatem nobis praebet Quinti Ciceronis commentariolum petitionis (3, 10). Sed nolo pro certo habere Marcum etiam illa mutatum esse a fratre; at si in fragmento nono de eadem re similiter atque Quintus locutus est, haud longe a vero recedemus, si idem statuamus de hoc loco. Praeterea huc nomina Caecilii,

Volumnii, Tanusii inserenda esse iam supra¹⁾ ostendi. His praemissis Cicero in fragmentis 20. et 21.

XVI. (20.) XVII. (21.) *Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non <dixerint? at illi multa> dixerunt, quae tibi dicere non licebit — Primum dicere potuerunt imperitos se homines esse, nec, quantum scelus susciperent, satis intellexisse; deinde, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori se paruisse. — Denique illi negare potuerunt et negaverunt: tu tibi ne infitianti quidem † impudentiae²⁾ locum reliquisti. Quare praeclara dicentur iudicia tulisse si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem.*

ita cum Catilina loquitur, quasi iam reus inter sicarios factus sit. Haec dicere non poterat, nisi Lucecium Catilinae nomen delaturum esse iam certo sciebat³⁾. Lacunam inter fragm. 20. et 21. ita, ut feci, explendam esse supra (p. 23) exposui.

Veniamus nunc ad fragmenta 22. 23. 24. 8. 7., quae simul omnia liceat mihi tractare. Ordiendum est a fragmento 24.,

1) P. 22.

2) Hoc verbum corruptum est. Ego, donec melior reperiatur emendatio, ita scribere velim 'quidem impudenter locum r.'

3) L. Lucecium iam ante comitia consularia a. 690/64 Catilinae nomen detulisse ad Iulium Caesarem aedilicium, qui tum quaestioni de sicariis praeerat (Lange R. A. III² p. 230), sed hunc aut nomen non recepisse, aut iudicium ultra com. consul. prolataste Johnius l. l. p. 736. (cf. 734. 735.) opinatus est. Huius coniecturae causas affert duas „dass Cicero mit der grössten Bestimmtheit von diesem Prozess spricht —, ferner, dass Catilina im Fall der Designation der Anklage entzogen gewesen wäre (vgl. Asc. p. 19, 14 fg. Dio 39, 7).“ At ex illa re non continuo sequitur, ut Lucecium iam ante com. consul. accusationem Catilinae frustra instituisse censeamus — an Asconium hoc silentio praeterisse putas? Et ipse Johnius alio loco (in mus. rh. 31. p. 414) item ad Asconium provocat —, contra rem simpliciter reputantibus Cicero aliquo modo de Luccii consilio certior videtur factus esse. Alteram vero causam prorsus nullam esse cum Asconius p. 19 („ne Scaurus — antequam de eo iudicari posset, magistratum iniret“) tum Cicero frgm. 13. huius orationis („qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus“) satis clare ostendunt, neque vero his minorem fidem habebimus, quam Dioni (39, 7 „ὡς καὶ τὴν δίκην τῆς βίας, ἂν ἀποδείχθῃ, διαφευξόμενος“). Denique in verbis Ciceronis: „Quare praeclara dicentur iudicia tulisse si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem“ (frg. 21.) non

quod cum 8. coniunctum et 24. loco positum hoc numero: 24^a. signamus. Quodsi fragmentum 8. suo loco repositum est, quia Asconius notatione 'postea' hoc post septimum fuisse indicat, septimum locabimus ante 24^a. In septimo autem fragmento breviter eae res proponuntur, de quibus Cicero postea dicturus est. Hoc reputantibus nobis nullus occurrit intra fragmentum 1. et 21. locus, quo apte fragmentum septimum possit constitui. Reliquum est, ut aut ante fragmenta 22. et 23., aut inter ea, aut post ea ponamus. Sed quominus duobus fragmentis intericiamus, prohibet et ea res, quod fragm. 22. et 23. arte cohaerent, et ea, quod Cicero in fragmentis 22. et 23. cum Catilina, in fragmento septimo de eo loquitur. Eadem de causa ne post 23. quidem ponemus. Praeterea notio 'postea', quae inter 7. et 8. est, non brevi intervallo distare alterum ab altero significat, — ad hoc Asconius utitur notatione 'paulo post' — sed satis magnum inter utrumque spatium intercedere. Ergo nulla optione relicta fragmentum 7. ante 22. collocabimus ita:

XVIII. (7.) *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefariae cruentavit; diripuit socios; leges, quaestiones, iudicia violavit —*

XIX. (22.) *Hanc tu habes dignitatem qua fretus me contemnis et despicias, an eam quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret. Sequuntur deinceps fragmenta:*

XX. (23.) *Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.*

XXI. (8. 24. h. e. 24^a.) *Quid? ego ut violaveris provinciam praedicem cuncto populo reclamante ac resistente?¹⁾ Nam*

cum Johnio statuemus (l. l. p. 734) inesse „die Vorausankündigung der Freisprechung Catilinas —“, immo Cicero, ne Catilina postea absolveretur, prohibere studebat, cum demonstraret magno iudicibus decori fore absolutionem Catilinae.

1) Patricii coniecturam pro 'violaveris pr.' bis 'involaveris in pr.' scribentis quanquam Madvigius (in libello supra l.) probavit, reicio, quoniam duobus locis (p. 86. 93) eadem verba sine ulla variatione exstant, ac Mommseno adsentior iudicanti (in noviss. edit. app. crit. illi frgm. subscripto) 'iniuriam significari in repetundarum iudicio

ut te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitum Africam: vidisse aliud nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!

Hunc ordinem fragmentorum verum esse satis certis probare possumus rationibus. Cum enim res in fragmento septimo paucis circumscriptae in fragmentis 22. 23. 24^a, quae sequuntur, pluribus illustrentur, in fragmentis 22. et 23. de his verbis 'stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit', in fragmento 24^a. de his 'diripuit socios' deinceps agitur. Verba quae restant 'caede nefaria cruentavit' inter fragmenta 23. et 24^a. ita tractata videntur esse, ut denuo Catiliuae caedes Caecilii, Volumnii, Tanusii probro sint datae¹⁾. Iam fragmenta 22. et 23. in unum conflauda sunt non solum propterea, quod utrumque de stupris Catilinae est, sed etiam quod in utraque singulae orationis particulae vocabulo 'cum' saepius atque in principio repetito conexas sunt. Ergo, si quidquam, certe huiusmodi sententioas aliquot intercidisse veri simile est. At mihi quidem nihil hic desiderari videtur, quod, cum post fragmentum 23. prorsus nihil etiam gravioris momenti afferri possit, illorum stuprorum numerum augere importunum est.

Neque vero multa interierunt inter fragmenta 24^a. et 25., scilicet ea, quibus, quam vera essent verba 'leges, quaestiones, iudicia violavit', exemplis demonstrabatur. Id autem fecit Catilina, quod plurimos iudices ipsumque accusatorem Clodium in causa repetundarum pecunia data corruptit²⁾. Quod ad leges attinet, despexit profecto leges de ambitu³⁾ et de numero sectatorum et similes. Fortasse etiam in causa incesti, quod cum Fabia, virgine Vestali, commisisse arguebatur⁴⁾, contemptim lo-

provinciae illatam'. Tum, ut magis rhetorice conformetur sententia, post 'quid' interrogationis signum pono. Reliqua sana sunt, si cum Halmio pro 'clamante' 'reclamante' scripseris (cf. nunt. Mon. 1862 II p. 29 et Cic. in Pis. 2, 5. 13, 29.).

1) V. supra p. 23. 2) Ascon. p. 87. 88. Cf. comm. pet. 3, 10.

3) Cf. Cic. pro Sulla 22, 63. 4) Ascon. p. 93.

cutus erat de iudiciis, sive in ipsa actione, sive alibi. Porro fragmento septimo aliquid addere velim. Non enim dubium est, quin fragmentum

XXII. (25.) *Praetereo nefarium illum conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio, ne quem alium nominem, caedem optimatum facere voluisti. cum antecedentibus artius coniungi et simul cum aliis ad fragmentum septimum referri debeat. Quare fragmento septimo haec fere adicio: 'ipsum reipublicae statum labefactare conatus est'. In fragmento autem 25. Cicero, etsi hanc rem praeterire se velle fingit, tamen, quoniam maxima quaeque praeteritionis figura usus dicere solebat, Catilinam sane gravissime afflixit¹⁾. Sententia denique eius partis orationis, quae complectitur fragmenta 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 7. 22. 23. 24^a. 25. haec fere est: Catilinam nullam spem consulatus habere, primum quod impudentia sua flagitiisque omnes ordines laeserit, deinde quod eam dignitatem amiserit, quam omnes candidati consulares habere debeant.*

Satis iam Cicero de Catilina dixerat; restabat, ut de Antonio et Orestino verba faceret. Ad quos hoc fere modo transit, ut exponeret: Catilinam utique indignum esse consulatu, Antonium saltem minus dignum, quam ipsum. Ita enim populum iudicasse, cum praetores a. 688/66 creasset. Quae hic perierunt maiorem partem ad Antonium pertinuisse, quam ad Catilinam probabilius est. Tametsi enim Ciceronem, ut et Catilinae vitia clarius illustraret, neve Antonii ut collegae magis exoptati stomachum nimis moveret, huic multo magis pepercisse, quam Catilinae, ex fragmentis elucet, tamen iusto brevius de Antonio actum fuisset, si hoc loco plura de Antonio intercidisse negaremus. Sequitur deinceps fragmentum

XXIII. (26.) *An oblitus es te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? Quod cum saepius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id a me peteres quod a te Boccus nunquam impetrasset?*

Quid praeterea hic protulerit, dubium, nisi hoc probabile

1) Cf. John. 1. 1. 719. 735.

ut te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse aliud nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac manus supplicium reservatum!

Hunc ordinem fragmentorum verum esse satis certis probare possumus rationibus. Cum enim res in fragmento septimo paucis circumscriptae in fragmentis 22. 23. 24^a., quae sequuntur, pluribus illustrentur, in fragmentis 22. et 23. de his verbis 'stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit', in fragmento 24^a. de his 'diripuit socios' deinceps agitur. Verba quae restant 'caede nefaria cruentavit' inter fragmenta 23. et 24^a. ita tractata videntur esse, ut denuo Catilinae caedes Caecilii, Voluminii, Tanusii probro sint datae¹⁾. Iam fragmenta 22. et 23. in unum conflanda sunt non solum propterea, quod utrumque de stupris Catilinae est, sed etiam quod in utraque singulae orationis particulae vocabulo 'cum' saepius atque in principio repetito conexas sunt. Ergo, si quidquam, certe huiusmodi sententioles aliquot intercidisse veri simile est. At mihi quidem nihil hic desiderari videtur, quod, cum post fragmentum 23. prorsus nihil etiam gravioris momenti afferri possit, illorum stuprorum numerum augere importunum est.

Neque vero multa interierunt inter fragmenta 24^a. et 25., scilicet ea, quibus, quam vera essent verba 'leges, quaestiones, iudicia violavit', exemplis demonstrabatur. Id autem fecit Catilina, quod plurimos iudices ipsumque accusatorem Clodium in causa repetundarum pecunia data corruptit²⁾. Quod ad leges attinet, despexit profecto leges de ambitu³⁾ et de numero sectatorum et similes. Fortasse etiam in causa incesti, quod cum Fabia, virgine Vestali, commisisse arguebatur⁴⁾, contemptim lo-

provinciae illatam'. Tum, ut magis rhetorice conformetur sententia, post 'quid' interrogationis signum pono. Reliqua sana sunt, si cum Halmio pro 'clamante' 'reclamante' scripseris (cf. nunt. Mon. 1862 II p. 29 et Cic. in Pis. 2, 5. 13, 29.).

1) V. supra p. 23. 2) Ascon. p. 87. 88. Cf. comm. pet. 3, 10.

3) Cf. Cic. pro Sulla 22, 63. 4) Ascon. p. 93.

cutus erat de iudiciis, sive in ipsa actione, sive alibi. Porro fragmento septimo aliquid addere velim. Non enim dubium est, quin fragmentum

XXII. (25.) *Praetereo nefarium illum conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio, ne quem alium nominem, caedem optimatum facere voluisti. cum antecedentibus artius coniungi et simul cum aliis ad fragmentum septimum referri debeat. Quare fragmento septimo haec fere adicio: 'ipsum reipublicae statum labefactare conatus est'. In fragmento autem 25. Cicero, etsi hanc rem praeterire se velle fingit, tamen, quoniam maxima quaeque praeteritionis figura usus dicere solebat, Catilinam sane gravissime afflixit¹⁾. Sententia denique eius partis orationis, quae complectitur fragmenta 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 7. 22. 23. 24^a. 25. haec fere est: Catilinam nullam spem consulatus habere, primum quod impudentia sua flagitiisque omnes ordines laeserit, deinde quod eam dignitatem amiserit, quam omnes candidati consulares habere debeant.*

Satis iam Cicero de Catilina dixerat; restabat, ut de Antonio et Orestino verba faceret. Ad quos hoc fere modo transit, ut exponeret: Catilinam utique indignum esse consulatu, Antonium saltem minus dignum, quam ipsum. Ita enim populum iudicasse, cum praetores a. 688/66 creasset. Quae hic perierunt maiorem partem ad Antonium pertinuisse, quam ad Catilinam probabilius est. Tametsi enim Ciceronem, ut et Catilinae vitia clarius illustraret, neve Antonii ut collegae magis exoptati stomachum nimis moveret, huic multo magis pepercisse, quam Catilinae, ex fragmentis elucet, tamen iusto brevius de Antonio actum fuisset, si hoc loco plura de Antonio intercidisse negaremus. Sequitur deinceps fragmentum

XXIII. (26.) *An oblitus es te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? Quod cum saepius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id a me peteres quod a te Boccus nunquam impetrasset?*

Quid praeterea hic protulerit, dubium, nisi hoc probabile

1) Cf. John. l. l. 719. 735.

eum nonnullas eiusdem generis narratiunculas dictaque illis addidisse.

Praeter 26. unum fragmentum ad solum Antonium pertinet quintum, idque incertae sedis. Quo igitur loco collocandum est? Non quidem post fragmentum secundum, quia Asconius infra, non supra quattuor illa fragmenta elegit; neque haberemus, quo commode fragmentum sextum insereremus, quippe quod illud statim sequi Asconius indicet. Ex tribus reliquis locis, de quibus cogitare possumus (frgm. 11. 14. 26.), primum reiciendum est fragmentum 11., praecipue quod fieri non potest, ut fragmentum 6. ante 11. ponatur. Minus etiam idoneus ob eandem causam est locus circa fragmentum 14. Superest fragmentum 26. Pone hoc fragmenta 5. et 6. locabimus.

XXIV. (5.) *Nescis me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et conlatione centuriarum et meo maxime beneficio ex postremo in tertium locum esse subiectum?*

XXV. (6.) *Te tamen, Q. Muci, tam male de populo Romano existimare moleste fero, qui hesternae die me esse dignum consulatu negabas. Quid? p. R. minus diligenter sibi constituet¹⁾ defensorem quam tu tibi? Cum tecum furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Cuius tu auxilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem p. R. auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore cum L. Cateno furti depectus sis, eo <te>²⁾ tempore in me tibi parum esse auxilii vidisse.*

Quantum sit spatium inter fragmenta 26. et 5. definire non possumus. Nonnullas vero sententias ex initio fragmenti 6. restituere licet. Ibi cum summa totius enuntiati vis posita sit in verbis 'tam male de p. R. existimare', ita fere Ciceronem dixisse nobis fingemus: populum Romanum in comitiis praetoriis sese digniorem praetura duxisse, quam Antonium, idque Antonium

1) Ita cum Halmio (l. l. p. 28.) pro 'constitueret' scribendum est; nam de consulatu dicit Cicero.

2) Necessae est voculam 'te' aliquo inseri. Aptissimus est locus ante 'tempore'. Repetitum vocabulum 'tempore' nullam offensionem habet.

neque ignorare (fragn. 26. 5.), neque negare; Orestinum tamen de populo Romano male existimare se moleste ferre (fragn. 6.).

Tandem ad finem orationis pervenimus, nam duo fragmenta, quae supersunt, si non conclusisse orationem, tamen in extrema fuisse oratione videntur. Ac fragmentum alterum:

XXVI. (27.) *Qui posteaquam illo <quo> conati erant Hispaniensi pugniunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere¹⁾.*

satis sanum est, contra alterum:

XXVII. (28.) *Hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse lapillum Catilinae † iudic. quā Q. ve Curium hominem quaestorium.*

tam corrupte traditum est, ut ne sententiam quidem elicere, nedum pristinam formam restituere possimus. Hoc certum est Ciceronem in utroque fragmento 'de malis civibus dixisse'²⁾. Et ne hoc quidem dubium, quin hic iidem significentur, atque in principio orationis. Neque hoc inconsulte fecit Cicero. Sicut enim, cum coepit dicere, audientibus novarum rerum metu admovendo id quod volebat, ut facinora conatusque Catilinae etiam periculosiora viderentur, plane consecutus est, sic in fine ad eosdem socios ac fautores Catilinae et Antonii recurrens priorem metum non solum renovavit, sed etiam auxit effecitque, ut ipse consul omnium consensu fieret, Catilina repulsam acciperet. Quot ante fragmenta 27. et 28. aut inter ea, aut post ea intercederint, enucleare non possumus. Hoc unum dicere licet Ciceronem nonnulla similia illis addidisse.

In fine huius capituli brevem descriptionem orationis in toga candida habitae propere in animo est. Sed praemoneo, ne dispositionem rhetorum praeceptis diligenter accommodatam requiras. Hoc vetabat argumentum orationis. Statuendum igitur est, secundum quas rationes tota materies disiuncta sit. Atque,

1) Quanquam Asconius dicit 'duas sicas Catilinam et Antonium appellari manifestum est', tamen, nescio quo pacto, Drumannus (G. R. V, 421) 'Catilinam et Antonium sicas destringere' dicit hoc fragmentum respiciens. Contra Catilina et Antonius sicae nuncupantur a Caesare et Crasso destructae.

2) Cf. p. 24.

si tota oratio in toga candida h. de coitione Catilinae et Antonii est¹⁾, etiam singulas partes ad eandem referre debemus coitionem. Quod num commode et apte fieri possit, dispositionis imago, quam extemplo hic subscribam, manifesto ostendet.

A. Exordium

videtur fuisse

- a) de Orestini intercessione,
- b) de huius auctoribus, Catilina et Antonio. [Ex hac orationis parte nihil servatum est.]

B. In Tractatione

- Cicero I., senatus consultum defendit, cum
- a) describit ambitum Catilinae et Antonii et
 - b) dicit de hominibus nobilibus coitionis fautoribus. [Lacuna, fragm. 1., lacuna.]
- II., parte, qualis sit coitio, ostendit moribus factisque Catilinae expositis. [Frgm. 2., lacuna, frgm. 3., lacuna, frgm. 4., lacuna, frgm. 9., lacuna, frgm. 10.] In
- III., parte dicit de coitionis consiliis. Quae, qualia sint, inde apparet, quod
- a) vim et arma parant Catilina et Antonius, [Lacuna, frgm. 11., frgm. 12.]
 - b) Orestinum mercede adduxerunt, ut senatus consulto intercederet. [Lacuna, frgm. 13., lacuna.] In
- IV., parte demonstrat coitionem nullam spem habere. Catilina nullam habet, quod
- a) nemo eum creaturus est, immo quidam mox accusaturus; [Frgm. 14., lacuna, frgm. 15., frgm. 16., frgm. 17., frgm. 18., lacuna, frgm. 19. — lacuna, frgm. 20., lacuna, frgm. 21.]
 - b) quod nullam habet dignitatem. [Lacuna, frgm. 7., lacuna, frgm. 22., frgm. 23., lacuna, frgm. 24^a, lacuna, frgm. 25., lacuna.] In
- V., parte exponit Antonium, etsi maiorem dignitatem Catilina habere, tamen multo minorem ipso. Id illustratur exemplis e vita Antonii sumptis. Interea breviter attingit Orestinum. [Frgm. 26., lacuna, frgm. 5., frgm. 6., lacuna.] In
- VI., parte, quam pernicioosa sit coitio reipublicae et senatus auctoritati, memorat. [Frgm. 29., lacuna, frgm. 28., lacuna.]

1) Ascon. p. 83.

C. Conclusio

fortasse continebat et admonitiones precesque atque exposita Ciceronis consilia voluntatesque et Ciceronis de Orestini intercessione sententiam. [Ex hac parte nullum fragmentum superest.]

Caput tertium.

Etiam si ea, quae hucusque de fragmentis huius orationis ordinandis complendisque disputavi, magnam partem e rationibus non satis certis pendere videantur, tamen me, si quae inter singula fragmenta perisse puto, iam breviter describere conabor, cum nimiae audaciae crimen evitaturum, tum aliquod operae pretium facturum esse spero. Neque vero ignoro ne a sagacissimis quidem viris proprias Ciceronis cogitationes, nedum verba certo divinari atque ita fragmentis ingeri posse, ut pristina renascatur oratio. Contra nimius is quoque videtur, qui omnia, quae a Cicerone in hac oratione dicta esse variis de causis probabile est, ut incerta abiciat ac de restituendo sententiarum tenore prorsus desperet, cum praesertim permulta fragmenta, si parvum totius orationis circuitum respexeris, ab Asconio servata esse supra demonstraverim¹⁾. Praeterea non inutile videtur et eum fragmentorum ordinem, quem verum duco, et eas cogitationes praecipuas, quas inter fragmenta fuisse supra probare studui, summam in conspectum producere, quo facilius sententias meas percensere atque examinare possint legentes.

Cicero in prooemio haec fere dixit: 'Aegerrime se ferre, quod Orestinus senatus consulto, reipublicae saluberrimo, sine ulla iusta causa intercederet. Cuius intercessionis auctores esse Catilinam et Antonium; quos contra ipsum coisse ad consulatum, quocumque modo possent, occupandum.'

Tum transit ad tractationem hunc fere in modum: 'Quare cum ambitum immodicis largitionibus ac maxima cum impudentia facerent, suo iure senatum decrevisse, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Apparere, quam periculosa esset reipublicae saluti ambitus licentia illa, quam Catilina et Antonius adhiberent, non illi quidem sua sponte, sed virorum quorundam potentissimorum consilio atque opera freti²⁾.'

1) P. 9. 2) V. supra p. 25.

I. (1.) *Dico, P. C., superiore nocte cuiusdam hominis nobilis et valde in hoc largitionis quaestu docti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.*

Lacuna non admodum magna, ubi haec fere exposita erant: 'Illic Catilinam et Antonium cum fautoribus suis secreta consilia agitare, illic ministris mandata viritim dare, inde magnas illas pecunias hauriri, quibus ambitionem et forensem laborem sustinerent. Sed nobiles illos Catilinae socios per speciem eius causae favendi nihil nisi id agere, ut sua consilia, quae, quam perniciosa reipublicae futura essent, se vix audere explicare, quam primum ad effectum adducerent. Neque ex summis, neque ex infimis quemquam propensa voluntate esse in Catilinam et Antonium¹⁾.'

II. (2.) *Quem enim aut amicum potest habere is qui tot cives trucidavit, aut <clientem is> qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?*

Lacuna non admodum magna, in qua has cogitationes fuisse puto: 'Quamobrem fore, ut praeter improbos ac perditos cives nemo Catilinam suffragio ornaret. Quicumque enim Catilinae vitam ante actam reputaret, eum facere non posse, quin summo supplicio potius, quam summo honore dignum esse illum iudicaret. Annon a Catilina omnes bonos omnium generum atque ordinum acerbissime laesos esse? Catilinam Africae provinciae, quam propraetor gravissime vexavisset, luctus et lacrimas superbe neglexisse.'

III. (3.) *Nec senatum respexit, cum gravissimis vestris decretis absens notatus est.*

Lacuna perparva.

IV. (4.) *In iudiciis quanta vis esset didicit, cum est absolutus: si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est²⁾.*

Lacuna perparva.

V. (9.) *Populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.*

Lacuna perparva.

VI. (10.) *Me qua amentia inductus sit ut contemneret, constituere non possum. Utrum <me> aequo animo laturum putavit? At in suo familiarissimo viderat me ne aliorum <quidem> iniurias mediocriter posse ferre³⁾.*

Lacuna non admodum magna. Transitum ad frgm. sequens

1) V. supra p. 25. 2) V. supra p. 26. 3) V. supra p. 27 sq.

ita nobis fingere possumus, ut Ciceronem haec fere dixisse putemus: 'Se non tam impotentem esse, quam fortasse Catilinae videretur. Nam cum legum vi atque auctoritate, tum studio atque voluntate omnium bonorum se uti praesidio firmissimo; quibus si secreta Catilinae eiusque fautorum consilia aperuisset, fore, ut multo acrius ipsi succurrerent, adversarentur Catilinae. Quales enim consules futuros esse eos, qui, quoniam desperarent de cuiusquam boni amicitia atque auxilio, operas et manum compararent ad consulatum, si non legitima via, tamen per vim et arma petendum.'

VII. VIII. (11. 12.) *Alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet, ex quibus ait se cum velit subito fugitivorum bellum excitaturum. (12.) Alter induxit † eum quem potuit¹⁾, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; praesente populo Romano factum est²⁾.*

Lacuna parva. Cicero sic fere perrexit dicere: 'Verum Catilinam et Antonium non habere, quod extrema experirentur, donec per strenui ac praeclari cuiusdam tribuni pl. intercessionem legitimam scilicet, etsi grandi pecunia emptam, quaecunque nolent impedirent.'

IX. (13.) *Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Muci, ut perseveret legem impedire ut coepit senatus consultum; sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus³⁾.*

Lacuna non admodum magna, quae continebat hanc sententiam: 'At vero non esse periculum, ne futurum esset, ut Catilina et Antonius una consules crearentur. Nam neque Antonium, neque Catilinam ullam spem consulatum adipiscendi habere.'

X. (14.) *Atque ut istum omitam in exercitu Syllano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium —*

Lacuna perparva, quae hoc modo expleri potest: 'fuisse, considerate, quomodo praetor factus sit. Meo enim beneficio factum est, ut Antonius ex postremo in tertium locum subiceretur. Nunc autem, quoniam societate cum Catilina facta me omnesque bonos adversarios habere maluit, quam amicos, ne tantulum quidem spei retinere debet, quantum in praeturae petitione⁴⁾.'

1) V. supra p. 28. 2) V. supra p. 28.
3) V. supra p. 28 sq. 4) V. supra p. 29 sq.

XI.—XIV. (15.—18.) *Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcacio cos. in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt.* (16.) *A senatoribus? qui te auctoritate sua spoliatum ornamentis omnibus vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt?* (17.) *Ab equestri ordine, quem trucidasti?* (18.) *A plebe, cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut <te> nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere possit?*

Lacuna perparva, quam Quinti Ciceronis verbis (comm. pet. 3, 10) usus sic expleo: 'Annon hominem carissimum populo Romano, M. Marium, inspectante populo Romano vitibus per totam urbem cecidisti, ad bustum egisti, ibi omni cruciatiu lacerasti, vivo stanti collum gladio tua dextera secuisti, cum sinistra capillum eius a vertice teneret?'

XV. (19.) *Quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Syllam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.*

Lacuna non admodum magna, ubi Ciceronem haec explicasse opinor: 'Praeterea Catilinam tres viros clarissimos, Q. Caecilium, M. Voluminium, L. Tanusium crudelissime occidisse¹⁾. Quid ergo? Tam sceleratum hominem habere, quod se consulem creatum iri speraret? Catilinam non solum repulsam accepturum esse, sed etiam propter caedes illas reum fore. Nonne brevi ante Catilinae avunculum²⁾ L. Bellienum, qui iussu Sullae Lucretium Ofellam trucidasset, item L. Luscium ob tres caedes proscriptorum accusatos esse meritasque poenas dedisse?'

XVI. (20.) XVII. (21.) *Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non <dixerint? at illi multa> dixerunt quae tibi dicere non licebit — Primum dicere potuerunt imperitos se homines esse, nec quantum scelus suscipere satis se intellexisse; deinde, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori se paruisse³⁾ — (21.) Denique illi negare potuerunt et negaverunt: tu tibi ne infitiandi quidem impudenter locum reliquisti⁴⁾. Quare praeclara dicentur iudicia tulisse, si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint contentem.*

Lacuna parva, quae hanc sententiam continuisse videtur:

1) V. supra p. 22. 2) V. supra p. 23.
3) V. supra p. 23. 4) V. supra p. 30.

'Catilinam quidem prorsus desperare de consulatu occupando necesse esse, quod dignitatem illam, quam candidati consulares utique habere deberent, amisisset facinoribus cuiuslibet generis commissis.'

XVIII. (7.) *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quaestiones, iudicia violavit, ipsum reipublicae statum labefactare conatus est¹⁾.*

Lacuna perparva.

XIX. (22.) XX. (23.) *Hanc tu habes dignitatem qua fretus me contemnis et despicias, an eam quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.* (23.) *Cum deprehendebare in adulterio, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.*

Lacuna parva, ubi haec mihi videntur interisse: 'An dignitatem sibi parasse Catilinam M. Mario, Q. Caecilio, M. Voluminio, L. Tanusio singulari immanitate et crudelitate trucidatis?'

XXI. (24^a.) *Quid? ego ut violaveris provinciam praedictam cuncto populo reclamante ac resistente? nam ut te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse aliud nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!*

Lacuna non admodum magna, quae sic fere expleri potest: 'Porro Catilinam non solum leges de ambitu, de numero sectatorum, similes violasse, verum etiam religionem veritatemque iudiciorum perfregisse. Quem enim nescire Catilinam ex illo iudicio de repetundis facto tam egentem discessisse, quam quidam iudices eius, atque is ipse, qui accusasset, antea fuissent. Iam vero nihil se dicere velle de secretis Catilinae consiliis, quamvis bene omnia perspexisset.'

XXII. (25.) *Praetereo nefarium illum conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio, ne quem alium nominem, caedem optatum facere voluisti²⁾.*

1) V. supra p. 33. 2) V. supra p. 33.

Lacuna magna. Nexus sententiarum hic fuit: 'Catilinam igitur utique indignum esse consulatu, Antonium saltem minus dignum, quam ipsum. Ita enim populum iudicasse, cum praetores a. 688/66 creasset; nec futurum fuisse, ut Antonius tertio loco praetor renunciaretur, nisi ipse illius causam sublevasset.'

XXIII. (26.) *An oblitus es te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? Quod cum saepius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id a me peteres quod a te Boculus nunquam impetrasset?*

Lacuna parva. Cicero ibi haec videtur exposuisse: 'Quod tunc ipsius amicitiam repudiaret, tantum abesse, ut doleret, ut vehementer laetaretur, quod a molestissima illius impudentia liberatus esset. Sed mirari se Antonium Catilinae amicitia tunc uti malle, quam ipsius, quem, quam dignum amplissimis honoribus iudicaret populus Romanus, illum neque ignorare neque negaturum esse¹⁾.'

XXIV. (5.) XXV. (6.) *Nescis me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et conlatione centuriarum et meo maxime beneficio ex postremo in tertium locum esse subiectum? (6.) Te tamen, Q. Muci, tam male de populo Romano existimare moleste fero, qui hesternae die me esse dignum consulatu negabas. Quid? p. R. minus diligenter sibi constituet²⁾ defensorem quam tu tibi? Cum tecum furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Cuius tu auxilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem p. R. auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore cum L. Caleno furti depectus sis, eo <te> tempore in me tibi parum esse auxilii vidisse³⁾.*

Lacuna magna. Ad frgm. sequens ita fere transire potuit Cicero, ut diceret: 'Sese nullum timere hostem, minime autem malos illos cives⁴⁾, qui Catilinae causam suam facerent. Illorum consilia se perspecta habere' —

XXVI. (27.) *qui posteaquam illo <quo> conati erant Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non*

1) V. supra p. 33 sq. 2) V. supra p. 34. n. 1.

3) V. supra p. 34. Huius partis orationis (quintae, cf. p. 36) plus dimidio servatum videtur esse.

4) V. supra p. 35.

potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere.

Lacuna non adeo magna.

XXVII. (28.) *Hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse lapillum Catilinae † iudic. quā Q. ve Curium hominem quaestorium.*

Lacuna non adeo magna¹⁾. In fine orationis, cuius nullum fragmentum exstat, haec fere exposita fuisse puto: 'Darent operam patres conscripti, ut Catilinae licentiam atque audaciam coercerent, neve eum consulem fieri sinerent. Sese fore fidelissimum legum atque senatus auctoritatis, si consul creatus esset, custodem atque defensorem. Rogare igitur patres conscriptos, ut sibi omnibus viribus suffragarentur. Denique se censere adversus rempublicam facturum esse Q. Mucium, si senatus consulto intercedere perseveraret.'

1) V. supra p. 35.

Vita.

Natus sum Paulus Koetschau Tonndorfiae, in vico Vimariensium, a. d. VII. id. Aug. a. h. s. 1857. patre Ottone, matre Luisa e gente Maerten. Fidem profiteor evangelicam. Cum in ludo publico literarum rudimentis imbutus essem, a. h. s. 1868. tempore paschali Vimariam migravi ibique in gymnasium Guilelmo-Ernestinum receptus cum aliorum virorum doctorum, tum vero Hermanni Rassowii rectoris, Hugonis Weberi professoris disciplina prudentissima humanissimaque sum usus. A. h. s. 1877. maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ubi philologiae operam darem. Ac Lipsiae quidem scholas adii virorum illustrissimorum Braunii, Curtii, Gardthauseni, Goeringii, Langii, Lipsii, Ribbeckii, F. Schoellii; frequentavi exercitationes proseminarii regii philologi, quas J. Lipsius moderabatur, antiquarias Langii, Goeringii philosophas. Post quattuor semestria Tubingam profectus sum, ubi per ter sex menses cum Flachium et Rohdium, tum Gutschmidium prodocentes audivi; Gutschmidii etiam interfui exercitationibus historicis, quas singularis ille vir habuit de Livi epitomatoribus, de fontibus ab Herodoto adhibitibus, de Jordanis auctoribus.

Magistris meis cum omnibus, tum Ludovico Lange, Justo Lipsius Lipsiensibus, Alfredo de Gutschmid Tubingensi gratias ago semperque habeo quam maximas.